
SENTENTIAE ET PROVERBIA EX POETIS LATINIS.



His adiecimus

LEOSTHENIS COLVANDRI SENTENTIAS prophanas, ex diuersis Scriptoribus, in communem puerorum usum, collectas.





Venetijs. M D XLVII.

SENTENTIAE ET PROVERBIA EX COMOEDIIS PLAVTI.



EX AMPHITR.

¶ Virtute ambire oportet, non fauitoribus. — *In prologo*
Sat habet fauitorum semper, qui rectè facit,
Si illis fides est, quibus est ea res in manu.

¶ Opulento homini hoc seruitus dura est, — *Act. 1. sc. 1*
Hoc magis miser est diuitis seruus,
Noctesq; diesq; assiduo satis superq; est,
Quo facto, aut dicto adest opus, quietus ne sis.
Ipse, diues operis, & laboris expers,
Quodcunq; homini accidit, liberè posse retur,
Aequum esse putat, non reputat laboris quid sit:
Nec æquum, an ne iniquum imperet, cogitabit.
Ergo in seruitute expetunt multa iniqua.
Habendum & ferundum hoc opus est cum labore.

¶ Vbi summus imperator non adest ad exercitum, — *Act. 1. sc. 3*
Citius, quod non facto est vsus, fit, quàm quod facto est opus.

¶ Satin' parua res est voluptatum in vita, atq; in ætate — *Act. 2. sc. 5*

Agunda, præ quàm quod molestum est. Ita quoque com paratum
Est in ætate hominũ, ita dijs placitũ, voluptati vt mœror
Comes consequatur: quin incommodi plus maliq; illico
Adsit, boni si obtigit quid.
¶ Virtus præmium est optimum. virtus omnibus
Rebus anteit profectò. libertas, salus, vita,
Res, parentes, patria, & prognati tutantur, seruantur:
Virtus omnia in se habet: omnia adsunt bona, quem penes est virtus.
¶ —Haud æquum facit
Qui quod didicit, id dediscit.
¶ Hei etiam tu quoq; assentaris huic? S. quid vis fieri?
Non tu scis: bacchæ bacchanti si velis aduersarier,
Ex insana insaniorem facies: feriet sæpius.
Si obsequare, vna resoluas plaga.
¶ —Certa res
Hanc est obiurgare; quæ me hodie aduenientem domum
Noluerit salutare. S. irritabis crabrones.
¶ —Quæ non deliquit, decet
Audacem esse, & confidenter pro se, & proterue loqui.
¶ Non ego illam mihi dotem duco esse, quæ dos dicitur
Sed pudicitiam, & pudorem, & sedatum Cupidinem,
Deûm metum, parẽtum amorem, & cognatum concordiã,
Tibi morigera, atq; vt munifica sim bonis, prosim probis.
Act. 3. sc. 2 *¶ Nam in hominum ætate multa eueniunt huiusmodi*
Capiunt voluptates, mox rursum miserias.
Iræ interueniunt, redeunt rursum in gratiam.
Verùm iræ siquæ fortè eueniunt huiusmodi

Inter eos, rurſum ſi reuentum in gratiam eſt,
Bis tanto amici ſunt inter ſe quàm prius.
¶ —*Ita ſeruum per videtur frugi ſeſe inſtituere,* Act.3.ſc.3
Perinde vt heri, ipſe item ſit vòltum ẽ voltu comparet:
Triſtis ſit, ſi heri ſint triſtes: hilarus ſit, ſi gaudeant.
¶ —*Vetus eſt adagium, fames & mora* Act.4.ſc.3
Bilem in naſum conciunt.

EX ASINARIA.

¶ *Nam me illuc ducis, vbi lapis lapidem terit?* Act.1.ſc.1
¶ *Argentum accepi dote, imperium vendidi.*
¶ *Me defraudato. L. maxumas nugas agis:*
Nudo detrahere veſtimenta me iubes.
Defraudem te ego? age ſis, tu ſine pennis vola.
Te'ne ego defraudem, quoi ipſi nihil eſt in manu?
¶ *Iubeas vna opera me piſcari in aëre,*
Venari autem iaculo apros in medio mari.
¶ —*Te perdam ego & filiam,* Act.1.ſc.2
Perlecebræ, pernicies, adoleſcentum exitium.
Nam mare haud eſt mare, vos mare acerrumum.
Nam in mari repperi, hic elaui bonis.
¶ *Par pari datum hoſtimentum eſt, opera pro pecunia.* Act.1.ſc.3
¶ *Quaſi piſcis, itidẽ amator lenæ: nequam eſt niſi recens:*
Is habet ſuccũ, is ſuauitatem, eũm quouis pacto condias,
Vel patinarium, vel aſſum vorſes, quo pacto lubet:
Is dare vult, is ſe aliquid poſci. nã vbi de pleno promitur
Neſcit quid det, quia damni faciat: illi rei ſtudet:
Vult placere ſeſe amicæ, vult mihi, vult pediſequæ,
Vult famulis, vult etiam ancillis, & quoq; catulo meo,

Sublanditur nouus amator, se vt quum videat, gaudeat.
Vera dico, ad suum quemque hominẽ quæstum esse æquũ est callidum.
¶Diem, aquam, solem, lunam, noctem, hęc argẽto nõ emo:
Cætera quæ volumus vti, Græca mercamur fide.
¶Quum à pistore panem petimus, vinum ex œnopolio:
Si æs habent, dant mercem: eadem nos disciplina vtimur:
Semper oculatę nostræ sunt manus, credunt quod vident.
Vetus est, nihili coaxatio.
¶–Hic noster quæstus, aucupij simillimus est.
Auceps quando concinnauit aream, effundit cibum, aues
Assuescunt: necesse est facere sumptum qui quærit lucrũ.
Sæpe edunt: semel si sunt captæ, rem soluunt aucupi.
Itidem apud nos: ædis nobis area est. auceps sum ego.
Esca est meretrix. lectus illix est. amatores, aues.
Bene salutando consuescunt, compellando blanditer.
¶–Necesse est facere sumptum, qui quærit lucrum.
¶Portitorum simillumæ sunt ianuæ lenoniæ:
Si affers, tum patent: si non est quod des, ædes non patent.
Act. 1. sc. 2 ¶–Si huic occasioni tempus se subter duxerit,
Nunquam pol indipiscet quadrigis albis postea.
¶Non placet, pro monstro extemplò est, quando qui sudat tremit.
¶Hem ista virtus est, quando vsus est, qui malum fers fortiter.
Fortiter malum qui patitur, idem pòst potitur bonum.
Act. 2. sc. 4 ¶–Non decet superbum esse hominem seruum.
¶Lupus est homo homini, non homo, quum qualis sit, non nouit.

Vt

—Vt miser est homo, qui amat. L I. *Imò hercle verò* Act.3.sc.3
Qui pendet, multo est miserior.
Non eadem omnia æquè omnibus here suauia esse scito.
Vt consueuere, homines salus frustratur, & fortuna.
Decet verecundum esse adolescentem. Act.5.sc.1
Nec quisquam est tam ingenio duro, nec tam firmo pectore, Act.5.sc.3
Quin vbi quicquam occasionis sit, sibi faciat bene.

EX AVLVLARIA.

—Si hercle tu ex isthoc loco Act.1.sc.1
Digitum transuersum, aut vnguem latum excesseris.
—Verisimile non est hominem pauperem Act.1.sc.2
Pauxillum parui facere, quin nummum petat.
Nam multum loquaces meritò omnes habemur: Act.1.sc.3
Nec mutam profectò repertam vllam esse
Hodie dicunt mulierem vllo in seculo.
Quia mihi misero cerebrum excutiunt tua dicta soror lapides loqueris.
Istas magnas factiones, animos, dotes dapsiles,
Clamores, imperia, eburata vehicula, pallas, purpuram,
Nihil moror, quæ in seruitutẽ sumptibus redigunt viros.
—Egomet hic sum: animus domi est. Act.1.sc.4
Pol si est animus æquus tibi, satis habes qui bene vitam colas.
Nunc petit, quum pollicetur: inhiat aurũ vt deuoret.
Altera manu fert lapidem, panem ostentat altera.
Nemini credo, qui largè blandus est diues pauperi;
Vbi manum inijcit benignè, ibi onerat aliquam zamiam.

Ego istos noui polypos, qui, vbi quid tetigerunt, tenent.
¶ Hoc magnum est periculum, me ab asinis ad boues transcendere.
¶ –Eam desponde mihi. E. *at nihil dotis est quod dem.* M. *ne duas,*
Dum modo morata recte veniat, dotata est satis.
¶ Nam si opulento sit petitum pauperioris gratiam,
Pauper metuit congredi, ac per metum male rem gerit.
Idem quando illhæc occasio periit, post sero cupit.
¶ –Dii immortales aurum obsecro quid valet?
Credo ego iam illū inaudisse mihi esse thesaurū domi, id
Inhiat, ea affinitatem hanc obstinauit gratia.
Act. 2. sc. 5 *¶ –Festo die siquid prodegeris,*
Profestle egere liceat, nisi peperceris.
Act. 3. sc. 4 *¶ –Dii immortales facinus audax incipit,*
Qui cum opulento pauper cœpit rem habere aut negotium.
Act. 3. sc. 5 *¶ Nam meo quidem animo, si idem faciant cæteri*
Opulentiores, pauperiorum filias
Vt indotatas ducant vxores domum,
Et multò fiat ciuitas concordior:
Et inuidia nos minore vtamur, quàm vtimur:
Et ille malam rem metuant, quàm metuunt, magis:
Et nos minore sumptu simus, quàm sumus.
In maxima illhæc populi parte est optuma:
In pauciore, auidis altercatio est:
Quorum animis auidis atque insatietatibus
Neque lex, neque tutor capere est qui possit modum.
¶ Nam quæ indotata est, ea in potestate est viri.

Dotatæ mactant & malo & damno viros.

¶—Ossa,atq; pellis totus est,ita cura macet: Act.3.sc.6
Quin exta inspicere in sole etiam viuo licet:
Ita is pellucet,quasi laterna Punica.

¶Hoc est serui facinus frugi facere,q̃d ego persequor, Act.4.sc.1
Ne moræ molestiæq; imperium herile habeat sibi.
Nam qui hero ex sententia seruire seruus postulat,
In herum matura,in se sera condecet capessere.
Sin dormĩtet,seruum sese vt cogitet.
Nam qui amanti hero seruitutem seruit, quasi ego seruio,
Si herum videt superare amorem, hoc serui officiũ reor,
Retinere ad salutem, non eum quò incũbat,eò impellere.
Quasi pueri qui nare discunt,scirpea inducitur ratis,
Quĩ laborent minus,facilius vt nent,& moueant manus:
Eodem modo seruum ratem esse amanti hero æquom censeo,
Vt toleret,ne possum abeat:tanquam
Imperium herile discat,vt quod non os velit,oculi sciant:
Quod iubeat,citis quadrigis citius properet persequi.
Qui ea curabit,abstinebit censeo næ bubula,
Nec sua opera reddet vnquam in splendorem compedes.

¶—Nimis vile est vinum atq; amor, Act.4.sce.
Si ebrio atq; amanti impune facere,quod lubeat,licet. 10.

¶Qui homo culpam admisit in se, nullus est tam parui pretij,
Quin pudeat,quin purget sese.

¶Repperi. L. quid repperesti? S. non quod pueri clamitant Act.5.sc.1
In faba se repperisse.

EX CAPTEIVEIS.

In prologo ¶ *Enimuero dij nos, quasi pilas, homines habent.*
¶ *Imprudens itidem, & sæpe iam in multis locis*
Plus insciens quis fecit, quàm prudens boni.
Act.1.sc.1 ¶ *Quasi mures semper edimus alienum cibum.*
Vbi res prolatæ sunt, quum rus homines eunt,
Simul prolatæ res sunt nostris dentibus.
Quasi quum caletur, cochleæ in occulto latent:
Suo sibi succo viuunt, ros si non cadit:
Item parasiti rebus prolatis latent,
In occulto miseri victitant succo suo.
Act.1.sc.2 ¶ *Liber capteiuus auis ferè consimilis est:*
Semel fugiendi si data est occasio,
Satis est, nunquam post illa possis prendere.
Omnes profectò liberi lubentius
Sumus, quam seruimus.
¶ *Nulla est spes iuuentutis, sese omnes amant,*
Ille demum antiquis est adolescens moribus,
Cui nunquam vultum tranquillauit gratus.
¶ *Tum denique omnes nostra intelligimus bona,*
Quum quæ in potestate habuimus, ea amisimus.
¶ *Vt sæpe summa ingenia in occulto latent?*
Hic qualis imperator: nunc priuatus est.
Act.2.sc.1 ¶ *Indigna digna habenda sunt, herus quæ facit.*
¶ *Eiulatione haud opus est, oculis multa misera cuditis.*
In re mala animo si bono vtare, adiuuat.
¶ *Nam doli non doli sunt, ni astu colas:*
Sed malum maxumum, si id palàm prouenit.

Nam

¶ *Nam fere maxuma pars morem hunc homines habent, quod sibi volunt,*
Dum id impetrant, boni sunt: sed vbi iam pene sese habēt,
Ex bonis pessumi, & fraudulentissumi
Sunt.

¶ *Qui cauet ne decipiatur: vix cauet, quū etiā cauet:* Act. 2. sc. 2
Etiam quum cauisse ratus est, sæpe is cautor captus est.
Proxumum quod sit bono, quodq; à malo longissume,
Id volo.

¶ *Quid diuitiæ? sunt ne optumæ? P. vnde excoquat senū senex.*

¶ *–Fortuna humana fingit, artatq; vt lubet.*
Me, qui liber fueram, seruum fecit, è summo infimum:
Qui imperare insueuerā, nūc alterius imperio obsequor.

¶ *Est profectò deus, qui quę nos gerimus, auditq;, et videt*
Is, vti tu me hîc habueris, perinde illum illic curauerit.
Bene merenti bene profuerit, malè merenti par erit.

¶ *Non ego omnino lucrum omne esse vtile homini existimo.*
Scio ego, multos iam lucrum luculētos homines reddidit.
Est etiam vbi profectò damnum præstet facere, quàm lucrum.
Odi ego aurum, multa multis sæpe suasit perperam.

¶ *Meus mihi, suus quoique est charus.* Act. 2. sc. 3

¶ *Miser homo est, qui ipse sibi, quod edat, quærit, & id ægrè inuenit.* Act. 3. sc. 1
Sed ille est miserior, qui ægrè quærit, & nihil inuenit.
Ille miserrimus est, qui quom esse cupit, quod edat, non habet.

Sese

—Sese omnes amant.

Act.3.sc.4 *Quia tute ipse eges in patria, nec tibi quî viuas domi est,*
Omneis inuenire similes tibi vis. non mirum facis:
Est miserorum, vt maleuolentes sint, atque inuideant bonis.
—Ego omnino occidi:
Nunc ego inter sacrum, saxumque sto: nec quid faciam scio.
Satin' me illi hodie scelesti capti ceperunt dolo?
Illic seruum se assimulabat, hic sese autem liberum.
Nucleum amisi, reliquit pignori putamina.

Act.3.sc.5 *At vt confidenter mihi contrà astitit,*
Decet innocentem seruum, atque innoxium,
Confidentem esse suum apud herum potissimum.
Qui per virtutem peritat, non pol interit.

Act.5.sc.3 *Cur ego te nõ noui? S. quia mos obliuisci hominibus:*
Neque nouisse, quoius nihili sit faciunda gratia.

EX CVRCVLIONE.

Act.1.sc.1 *—Ita tuum conferto amorem semper, si sapis,*
Ne id quod ames, populus si sciat, tibi sit probro.
Semper curato ne sis intestabilis.
Quod amas, ama testibus præsentibus.
Nemo ire quenquam prohibet publica via,
Dum ne per fundum septum facias semitam.
Dum te abstineas nupta, vidua, virgine,
Iuuentute, & pueris liberis, ama quod lubet.
Semper, tu scito, flamma fumo est proxuma.
Fumo comburi nihil potest, flamma potest.
Qui è nuce nucleum esse volt, frangit nucem.

¶ Quisnam hic fluuius est, quem non recipiat mare?

¶ Aedepol qui amat, si eget, misera ærumna afficitur. Act. 1. sc. 2

¶ Ipsus se excruciat, qui homo quod amat, videt, nec potiri licet. Act. 1. sc. 3

¶ Sed enim nequeo durare, quin ego herū accusem meū.
Nam bonum est pauxillum amare sanè: insanè non solum bonum est,
Verùm totū insanū amare, hoc est quod meus herus facit.

¶ Sibi sua habeant regna reges: sibi diuitias diuites:
Sibi honores: sibi virtutes: sibi pugnas: sibi prælia:
Dum mihi abstineant inuidere: sibi quisque habeat, quod suum est.

Heus tu mulier, malè mereri de immerente, inscitia est.

¶ — Nulli est homini perpetuum bonum:
Iam huic voluptati hoc adinuentum odium est.

¶ Noli amabò verberare lapidem, ne perdas manum.

¶ Facilè est miserum irridere Act. 2. sc. 1

¶ Ita nunc mos viget, Act. 2. sc. 3
Ita nunc seruitium est, profectò modus haberi non potest.

¶ Qui homo maturè quæsiuit pecuniam, Act. 3. sc. 1
Nisi eam maturè parsit, maturè esurit.

¶ — Meus hic est, hamum vorat.

¶ Qui monet, quasi adiuuat.

¶ — Haud in malè meditantem malè dicassis. Act. 4. sc. 2
Indignus si maledicitur, maledictum id esse dico.

¶ — Hic hodie apud me nunquam delinges salem. Act. 4. sc. 4

¶ Argentarys malè credi qui aiunt, nugas prædicant. Act. 5. sc. 3
Nam & bene & malè credi dico: id adeò hodie ego expertus sum.

Nã malè creditur, qui nunquã reddunt, sed prorsus perit
Velut hic decẽ mnas dum soluit, omnis mensis transiit.
Postquam nihil fit, clamore hominem posco: ille me in ius vocat:
Pessumè metui, ne mihi hodie apud prætorem solueret.

EX CASINA.

Act. 2. sc. 2. *—Peculi probam nihil habere addecet*
Clam viro: & quæ habet partum, ei haud commodi est, quin viro aut subtrahat,
Aut stupro inuenerit. hoc viri censeo esse omne, quicquid tuum est.

Act. 2. sc. 3 *Omnibus rebus ego amorem credo, & nitoribus nitidis*
Anteuenire: nec pote quicquam commemorari, quod plus salis,
Plusq; lepôris habeat hodie. coquos equidem nimis
Demiror, qui tot vtuntur condimentis, eos eo
Condimento vno non vtier, quod præstat omnibus.
Nam vbi amor condimentum inerit, quoiuis placiturum credo:
Neque salsum prorsus, neq; suaue esse potest quicquam, vbi amor
Non adnuscetur: fel quod est amarum, id mel faciet:
Hominem ex tristi lepidum, & lenem.

Act. 2. sc. 4 *Stultitia est, ei te esse tristẽ, quoius potestas plus põt*

Act. 2. sc. 6 *Collatis signis depugnabimus.*

Act. 2. sc. 8 *Enimuero huc aures sunt magis adhibendæ mihi:*
Iam ego vno in saltu lepidè apros capiam duos.

Non

¶Non ecastor vili emptus est modius qui venit salis. Act.3.sc.2
Non matronarum est officium, sed meretricum, Act.3.sc.3
Viris alienis, mi vir, subblandirier.
¶–Sciens de via Act.3.sc.5
In semitam regredere.

EX CISTELLARIA.

¶Nãq ecastor amor et melle, et felle est fœcũdissumus Act.1.sc.1
Gustu dat dulce, amarum ad satietatem vsq aggerit.
¶Spissum istud amanti est verbum, veniet, nisi venit.
¶Vt sunt humana, nihil est perpetuum datum. Act.1.sc.3
¶Credo ego amorem primùm apud homines carnuficinam commentum: Act.2.sc.1
Hanc de me coniecturam domi facio, ne foris quæram:
Qui omnes homines supero, atque antideo cruciabilitatibus:
Iactor, crucior, agitor, stimulor, versor in amoris rota: miser
Exanimor, feror, differor, distrahor, deripior: ita
Nullam mentem animi habeo: vbi sum, ibi non sum: vbi non sum, ibi est animus.
Ita mihi ingenia sunt, quod lubet, nõ lubet iã id continuò,
Ita me amor lapsum animi ludificat, fugat, agit, appetit,
Raptat, retinet, iactat, largitur. quod dat, non dat, eludit.
Modò quod suasit, dissuadet: quod dissuasit, id ostentat.

EX EPIDICO.

¶–Vtcunque Act.1.sc.1
In alto ventus est Epidice, ex imo velum vortitur.

Taceam

¶ –Taceam optumum est: plus scire satius est,
Quàm loqui seruum hominem: ea sapientia est.

Act. 1. sc. 2 *¶ Nihil agit, qui diffidentem verbis solatur suis.*
Is amicus est, qui in re dubia re iuuat, vbi re est opus.
¶ Hercle miserum est, ingratum esse hominem, id quod scias bene,
Ego quod benefeci, malefeci: quia amor mutauit locum.

Act. 2. sc. 1 *¶ Plerique homines, quos quom nihil refert, pudet:*
Vbi pudendum est, ibi deserit eos pudor,
Quum magis vsus est, vt pudeat.

Act. 2. sc. 2 *¶ –Si placebit, vtimmor*
Consilium: si non placebit, reperitote rectius:
Mihi istic nec seritur, nec metitur: nisi ea, quæ vis, nolo.

Act. 3. sc. 2 *¶ Versutior es quàm rota figularis.*

Act. 3. sc. 3 *¶ Profecto deliramus interdum senes.*
¶ Deuortunt mores virgini longè, ac lupæ.
¶ Nihil homini amico est opportuno amicius,
Sine tuo labore quod velis actum est tamen.

Act. 3. sc. 4 *¶ Non repperisti adolescens tranquillum locum,*
Vbi tuas virtutes explices vt postulas.
Nam strenuiori deterior si prædicat
Suas pugnas, de illius ore fiunt sordidæ.
¶ –Hic non est locus:
Quin tu alium quæras, quoi centones farcias.

Act. 4. sc. 2 *¶ –Aliter catuli longè olent, aliter sues.*
¶ Perij, plaustrum perculi.

EX BACCHID.

Act. 1. sc. 1 *¶ –Metuo, lusciniolæ ne desuat cantio.*

Sperat

Sperat quidem animus: quò eueniat, dijs in manu est. Act.1.sc.2
Anima est amica amanti: si ea abest, nullus est. Act.1.sc.2
Si adest, res nulla est: ipsus est nequam, & miser.
—Aspersisti aquam. Act.2.sc.3
Exorsa hæc tela non male est omnino mihi,
Vt amantem herilem copem facerem filium.
Multis meditatus modis egomet mecum sum, & ita esse arbitror, Act.3.sc.2
Homini amico qui est amicus, ita vti nomen possidet,
Nisi deos nihil præstare.
Pol quidem, meo animo, ingrato homine nihil impensius est.
Malefactorem amitti satius, quàm relinqui beneficium.
Nimio præstat impendiosum te, quàm ingratum dicier:
Illum laudabunt boni, hunc etiam ipsi culpabunt mali.
Eia Lyde leniter qui sæuiunt, sapiunt magis. Act.3.sc.3
Multi more isto atque exẽplo viuũt: quos cum censeas. Act.3.sc.6
Tibi amicos, reperiuntur falsi falsimonijs,
Lingua factiosi, inertes opera, sublesta fide.
Nullus est qui non inuideat rem secundam obtingere:
Sibi ne inuideatur, ipsi ignaui cauent recte.
—Vbi ipse? C. *nescio.* Act.4.sc.6
Nihil iam me oportet scire, oblitus sum omnia:
Scio me esse seruum, nescio etiam id quod scio.
Nunc ad transenna hic turdus lumbricum petit:
Pendebit hodie pulchre, ita intendi tenus.
O stulte, nescis nunc venire te: Act.4.sc.7
Atque in eo ipso astas lapide, vbi præco prædicat.
Si tibi est machæra, & nobis vrbina est domi: Act.4.sc.8

Qua quidem te faciam, si tu me irritaueris,
Confessiorem soricina nænia.

EX MOSTELLAR.

Act. 1. sc. 1 *¶ Vnum hoc scito, nimio celerius.*
Venire quod molestum est, quàm id quod cupide petas:

Act. 1. sc. 2 *¶ Recordatus multū et diu cogitaui, argumētaq; multa*
In pectus institui ego atq; in corde meo, si quo dest mihi
Cor: eā rem volutaui et diu disputaui; hominē quoius rei
Quando natus est, similem esse arbitrarer, simulacrumq;
habere. iam
Id repperi exemplū. nouarū esse ædium arbitror similē.
Ego hominē, quando hic natus est. et argumēta rei dicam
Atq; hoc videtur haud verisimile vobis: at ego faciam
Id esse ita, vt credatis: & profecto ita esse, vt prædico,
Vero vincā. atq; hoc vosmetipsi (scio) perinde vt nūc ego
Esse autumo, quādo dicta audietis mea, haud vos aliter id
Dicetis. auscultate, donec argumenta dixero:
Simul autem gnauos esse ad hanc rem mecum vos omnes
volo.
Aedes quum extēplò paratæ, expolitæ, factę probe, exa-
mussim,
Laudant fabrum, atq; ædes probant: sibi quisque inde
exemplum expetunt:
Sibi quisque simile sumit, sumptu suo operam poscunt
suam.
Atq; vbi illo immigrat nequam homo indiligens cum pi-
gra familia,
Immūdus, instrenuus, hic iam ædibus vitiū additur, bonæ

Quum

Quum curantur male.atq; illud fit sæpe:tempestas venit
Confringit tegulas,imbricesq;.ibi dominus indiligens
Reddere alias ne vult.venit imber, lauat parietes, perpluunt
Tigna,putrefacitq; operam fabri, nequior iam factus est
Vsus ædium: atq; haud fabri culpa: sed magna pars moram hanc sibi
Induxerunt,quod nummo potest sarciri,vsque mantant, neq; id faciunt,
Donicum parietes ruunt,ædificantur ædes totæ denuo.
Hæc argumenta ego ædificijs dixi:nunc etiam volo
Dicere,vt vos,homines ædium esse similes arbitremini.
Primùm dum,parētes,fabri liberûm sunt, & fundamentū
Liberorum substruunt;extollunt, parant sedulò infirmitatem.& vt
In vsum boni,& in speciā populo sint,sibiq; & materiē
Reparant: nec sumptus sibi sumptui esse ducunt: expoliunt,docent
Literas,iura & leges:sumptus suo,& labore nituntur,
Vt alij sibi esse illorum similes expetant.ad legionem
Quum itur, adminiculū eis danunt tum iam aliquem cognatum suum.
Eatenus abeunt à fabris,vnū vbi emeritum est stipendium
Igitur tum specimen cernitur,quò eueniat ædificatio.
Nam ego ad id frugi vsque & probus fui, in fabrorum potestate dum fui.
Posteaquam immigraui in ingenium meum,perdidi operam fabrorum
Illico,oppidoq; venit ignauia:ea mihi tempestas fuit,

B 2 Ea mihi

Ea mihi aduentu suo quamprimum grãdinem, imbremq; attulit.
Hæc verecũdiã mihi & virtutis modũ deturbauit: texit,
Detexitq; me illico. post illa obtexere eam, neglegens fui.
Continuò pro imbre amor aduenit. is vsque in pectus permanauit,
Permadefecit cor meum. nunc simul res, fides, fama, decusq; & virtus.
Deseruerunt. ego sum in vsu factus nimio nequior.
Atque ædepol ita hæc tigna humida putrent: non video mihi.
Sarcire posse ædeis meas, quin totæ perpetuæ ruant,
Quin cum fundamento perierint: nec quisquam esse auxilio queat.
Cor dolet mihi, quum scio nunc vt sum, atq; vt fui olim: quo neq;.
Industrior de iuuentute erat arte gymnastica, disco, hastis, pila,
Cursu, armis, equo: victitabam volupe parsimonia & duritia.
Disciplinæ alijs eram, optumi quiq; expetebant eam sibi.
Nunc postquam nihil sum, id vero meopte ingenio repperi.

Act.1.sc.3 *¶ Euentus rebus in omnibus, velut in horreo borna messis,*
Magni fit.
¶ Quin tu te exornas moribus lepidis, quum lepida tute es?
Non vestem amatores mulieris amant, sed vestis fartum.

¶ Inspe

⸿–Insperata accidunt magis sæpe, quàm quæ speres.
⸿Vna opera ebur atramento candefacere postules.
⸿–Amator meretricis mores sibi emit auro & purpura
Quid opus est, quod suum esse nolit, ei vltro ostentarier?
Purpura, ætas occultanda est: aurum, turpi mulieri.
Pulchra mulier nuda erit, quàm purpurata, pulchior:
Postea nequicquam exornata est bene, si morata est male
Pulchrum ornatum turpes mores peius cœno collinunt,
Nam næ si pulchra est nimis ornata est.

⸿Nihil est miserius quàm animus hominis conscius. Act.3.sc.1
⸿Nullum ædepol hodie genus est hominum tetrius,
Nec minus bono cum iure, quàm danisticum.

⸿Non bonus est somnus homini de prandio. Act.3.sc.2

⸿–Antiquum obtines. Act.3.sc.3
Hoc tuum, tardus vt sis. TR. *heus tu, si verbum hoc cogitare voles,*
Simul flare sorbereq;, haud factu facile est: ego hic esse,
Et illic simul haud potui.

⸿–Vt serui suum volunt herum esse, ita ille solet. Act.4.sc.1
Bonus cum probis est, malus cum malis. nam nunc domi.
Nostræ tot pessumi viuunt, peculij
Sui prodigi, plagigeruli, vbi aduorsum vt eant hero
Vocantur, Non eo, molestus ne scis: scio
Quò properas, gestis aliquò iam hercle ire pastum foras
Bene merens hoc pretium vbi auscultaui, foras
Solus eo nunc aduersum hero ex plurimis seruis.

⸿Qui homo timidus erit in dubijs rebus, is nauci non erit. Act.5.sc.1

EX MENAEHMIS.

Act.1.sc.1 ☞ *Homines captiuos, qui catenis vinciunt,*
Et qui fugitiuis seruis indunt compedes,
Nimis stulte faciunt, mea quidem sententia.
Nam homini misero malum si accedit ad malum,
Maior lubido est fugere, & facere nequiter.
Nam se ex catenis eximunt aliquo modo.
Tum compediti ianuam lima perterunt:
Aut lapide excutiunt clauum. nugæ sunt meræ.
Quem tu asseruare recte ne aufugiat voles,
Esca atq; potione vinciri debet,
Apud mensam plenam homini rostrum deliges.
Dum tu illi, quod edat, & quod potet, præbeas
Arbitratu suo affatim quotidie:
Nunquam ædepol fugiet, tametsi capital fecerit:
Facile asseruabis, dum illo vinculo vincies.
Ita isthæc nimis lenta vincla sunt escaria:
Quàm magis extendas, tanto astringant arctius.

Act.1.sc.3 ☞ *Meretrix tantisper blanditur, dum illud quod rapiat, videt.*

Act.2.sc.1 ☞ *–Si acum credo quæreres,*
Acum inuenisses.
☞ *In scyrpo nodum quæris.*

Act.2.sc.3 ☞ *–Folia nunc cadunt,*
Præ vt si triduũ hoc hic erimus: tum arbores in te cadent.
Nam ita sunt hic meretrices omnes illecebræ argentariæ.
☞ *Certe hæc mulier cantherino ritu astans somniat.*
☞ *–Quam tu nunc mihi nauem narras?* MEN. *ligneã,*

Sæpe tritam, ſæpe fixam, ſæpe excuſſam malleo.
Quaſi ſupellex pellionis palus palo proximus eſt.

☞ *Clientes ſibi omnes volunt eſſe multos, boni ne an mali ſient,* Act.4.ſc.2
Id haud quæritãt: res quæritur magis, quàm cliẽtũ fides
Quoiuſmodi cluat. ſi pauper eſt, atq; haud malus,
Nequam habetur. ſin diues malus eſt, habetur is cliens
Frugi, qui neque leges, neque æquũ, neq; bonum vſquam colunt.
Solicitos patronos habent: datũ denegãt, quod datũ eſt.
Litium pleni, rapaces. fraudulenti ſunt viri:
Qui aut fœnore, aut periurijs paratam rem habent.
Mens ir querelis. iuris vbi dicitur dies, ſimul
Patronis dicitur: quippe qui pro illis, quæ maleſecerint,
Loquantur: aut ad populum, aut in iure, aut ad iudicem res eſt.

☞ *—Vt ætas mala eſt merx: mala eſt ergo.* Act.5.ſc.2
Nam res plurimas peſſumas, cum aduenit, affert. quas ſi autumem
Omneis, nimis longus ſermo eſt.

☞ *Spectamen bono ſeruo id eſt, qui rem herilem procurat, videt.* Act.5.ſc.6
Collocat, cogitatq;, vt abſente hero diligenter rem tutet,
Quàm ſi ipſe adſit, aut rectius. tergum quàm gulam, crura quàm ventrem
Oportet potiora eſſe. quoi cor eſt modeſte ſitum,
Recordetur id. qui nihil ſunt, quid ijs detur
Ab ſuis heris: ignauis, improbis viris, verbera,
Compedes, molę, magna laſſitudo, fames, frigus durum.

Hæc pretia sunt ignauiæ, id ego malè malum metuo.
Serui qui culpa carent & metuunt, ij solent heris.
Esse vtibiles nam illi qui nihil metuunt, postquam malum
Promeriti sunt, tunc metuunt.

Act.5.sc.9 *Illhic homo aut sycophanta, aut geminus est frater tuus:*
Nam ego hominem homini similiorem nunquam vidi alterum:
Nec aqua aquę, nec lacte lacti, crede mihi, vsquā similius
Quàm hic tui est, tuq; huius.

EX MILITE GLORIOSO.

Act.1.sc.1 *Nimia est miseria, pulchrum esse hominem nimis.*

Act.2.sc.5 *Neq; eques, neq; pedes præfectus quisquam tanta audacia est,*
Qui æque faciat confidenter, quàm mulieres faciunt,
Vt vtrobiq; orationem docte duint.
—Si sapis,
Mussitabis: plus oportet scire seruum, quàm loqui.

Act.2.sc.6 *—Homini seruo, suos.*
Domitos habere oportet oculos, & manus,
Orationemq;.

Act.3.sc.1 *—Opus est nunc tuto loco,*
Inimicus ne quis nostris spolia capiat consilijs:
Atq; vnde inimicus ne quis spolia capiat auribus.
Nam bene consultum, inconsultum si sit, inimicis vsu esse potest,
Si minus cum cura, aut catalogo loquendi lectum fiet.
—Facile est imperium in bonis.

¶In mala vxore atq; inimico siqd sumatur, sumptus est.
In bono hospite atq; amico, quæstus est quod sumitur.
Et quod in diuinis rebus sumas sumptus, sapieti lucro est.
¶Nihil me pœnitet iam quanto sumptus fuerim tibi.
Nam hospes nullus tam in amici hospitiũ deuorti potest,
Quin vbi triduum continuum fuerit, iam odiosus siet.
Verum vbi dies decem continuos ire ad eundem instat,
Tametsi dominus non inuitus patitur, serui murmurant:
¶Si illud ægre est, mihi quod volupe est, meo animo mo rem gero.
Quod tamen odiose faciendum, fit malum atq; ingratijs.
¶Proletario sermone nunc quidem hospes vtere.
Nam hi solent, quando accubuere, vbi cœna apposita est, dicere:
Quid tibi opus fuit hoc sumptu tanto nostra gratia?
Insaniisti hercle: nam idem hoc hominibus sat erat decẽ.
Quod eorum causa obsonatum est, culpant, & comedunt tamen.
PA.*Fit pol illud ad illud exemplum: vt doctè ac perspe ctè sapit?*
PE.*Sed idem homines nunquam dicunt, quanquam ap- positum est ampliter,*
Iube illud demi, tolle hanc patinam, pernam nihil moror:
Aufer hinc illam offam penitam, probus hic conger fri- gidus:
Remoue, abi, aufer. neminem eorũ hæc asseuerare audias:
Sed percellunt, sed perducũt, dimidiatim dum appetunt.
¶At nemo solus sapit: nam ego multos sæpe vidi. Act. 3. sc. 3
Regionem fugere consilij, prius quàm repertam habere.

¶ Si quid faciundum est mulieri malæ atque malitiosæ,
Ea sibi immortalis memoria est, meminisse & sempiterna.
Sin bene aut fideliter quid faciendum sit, eadem veniunt,
Obliuiosæ extemplo vt fiant, & meminisse nequeant.
¶ Mi patrone hoc cogitato, vbi probus est architectus,
Bene liniatam si semel carinam collocauit,
Facile esse nauem facere, vbi fundata & constituta est.
Nunc hic carina satis & fundata est bene & statuta.

EX MERCATORE.

Act.1.sc.1 ¶ Amorem hæc cuncta vitia sectari solent,
Cura, ægritudo, dolor, nimiaq; elegantia.
Hæc non illum modo qui amat, sed quenque attigit,
Magno atque solido mulctat infortunio.
Nec pol profecto quisquam sine grandi malo,
Præterquam res patitur, studet elegantiæ.
Sed amori accedunt etiam vltra hæc, quæ diximus,
Insomnia, ærumna, error, & terror, & fuga,
Ineptia, stultitiaq; adeo, & temeritas,
Incogitantia, excors immodestia,
Petulantia, cupiditas, & maleuolentia.
Inhæret etiam auiditas, desidia, iniuria,
Inopia, contumelia, & dispendium,
Multiloquium, pauciloquium. hoc ideo fit, quia
Quæ nihil attingunt ad rem, nec sumptus videt.
Tum amator profert sæpe aduorso tempore.
Act.2.sc.2 ¶ Humanum amare est, humanum autẽ ignoscere est.
Act.3.sc.4 ¶ Demisisti gladium in gulam, iam cadam.
Act.4.sc.4 ¶ Qui amat, si quod amat habet, id satis habet sibi

Pro

Pro cibo videre, amplecti, osculari, atque alloqui.
¶ —*Heu misero mihi,*
Nunc ego verum illud verbum esse experior vetus,
Aliquid mali esse propter vicinum malum.
¶ *Iacent beneuolentes odiosi, humum mordent, caput reptant,* Act.4.sc.6
Fremunt, perstrepuntque, cumque putant viuere, tunc ruunt maxume:
Tunc student persequi, labant iuuenes, itidem rapiuntur senes.
Illi se amant: quod amant, amatum volunt, atque cognitum.
Illi vero si amare ea ætate occeperunt, multo insaniunt acrius.
Verum si non amant, oderunt: molesti itidem, atque difficiles,
Garruli, osores, infensi, iracundi, sibi suisque inuidi.
Quod in se olim admisêre turpiter, id si fiat modestius,
Nec tolerant, vt æquum est patres: sed clamant indecenter obstrepunt.
¶ *Vetus id dictum est, feliciter is sapit, qui periculo alieno sapit.* Act.4.sc.7
¶ *In portu res est.*
¶ *Quin tu istas omittis nugas, ac mecũ huc intrò ambulas?* Act.5.sc.2
C. *Hospes respondit Zacyntho ficos fieri non malas.*
¶ *Demipho sapientum illud dictum te audisse reor sæpius,* Act.5.sc.3
Voluptas est malorum esca: quòd ea non minus homines,
Quàm hamo capiantur pisces, hæc quum fugiant senes,

Tu

Tu tamen senectuti gratiā non habeas: quoniam hæc tibi
Non abstulit modò. sed in amorem coniecit fortius.
Quo te, consiliumq́; tuum atq; mentem perdit funditus,
Atq; oculorum tibi præstringit aciem.

EX PSEVDOLO.

In prologo ¶ *Qui quærit alta, is malum videtur quærere.*
Act. 1. sc. 1 ¶ *Vt literarum ego harum sermonem audio,*
Nisi tu illi drachmis fleueris argenteis,
Quod tu istis lacrumis te probare postulas:
Non pluris refert, quàm si imbrem in cribrum geras.
¶ *De isthac re in oculum vtrumuis conquiescito.*
Act. 1. sc. 3 ¶ *—Mortuo verba fabulare nunc.*
Satis stultus es, rem actam agis.
¶ *Nimio id quod pudet, facilius fertur, quàm illud quod piget.*
Non dedisse, istum pudet: me quia non accepi, piget.
¶ *Nullus est tibi quem roges mutuum.*
Argentum. C. quin nomen quoq; interijt iam mutuum.
B. Heus tu, postq̄ hercle isti à mensa surgunt saturi, poti,
Alienum reddunt nato nemini. qui suum repetunt
Ab alienis, cautiores sunt ne credant alteri.
¶ *E me die cæca hercle oliuum, id vendito oculata die.*
Iam hercle vel ducentæ fieri possunt præsentes minæ.
¶ *Tibi ego credam? P. cur non? B. quia pol qua opera credam tibi,*
Vna opera alligem canem fugitiuam agninis lactibus.
¶ *In pertusum ingerimus dicta dolium, operam ludimus*
¶ *Pauci ex multis amici sunt homini, qui certi sient.*

¶ Atq;

¶ *Atq; ego huic iampridem me daturum dixeram:* Act.1.sc.4
At volui inijcere tragulam in nostrum senem:
Verum is nescio quo pacto præsensit prius.

¶ *Probum patrem esse oportet, qui gnatum suum* Act.1.sc.5
Esse probiorem, quàm ipsus fuerit, postulet.

¶ *—Meus hic est quidem seruus Pseudolus:*
Hic mihi corrumpit filium, scelerum caput,
Hic dux, hic ille est pædagogus: hunc ego.
Cupio excruciari. C. iam isthæc insipientia est,
Iram in promptu gerere. nam quanto satius est,
Adire blandis verbis, atq; exquirere,
Sint illa, nec ne sint, quæ tibi renunciant?
Bonus animus in mala re dimidium est mali.

¶ *Decet equidem innocens qui sit, atq; innoxius,*
Seruum superbum esse apud herum potissimum.

¶ *Sunt quæ te volumus percontari: quæ quasi*
Per nebulam nosmet scimus atq; audiuimus.

¶ *Nam ea stultitia est, facinus magnum timido cordi credere.* Act.2.sc.1
Nam omnes res perinde sunt, vt agas, vt eas magnifacias.

¶ *Centũ doctũm hominũ cõsilia hæc vna deuincit dea* Act.2.sc.3
Fortuna: atq; hoc verum est, perinde vt quisq; ea vtitur,
Ita præcellet, atq; exinde sapere eum omnes dicimus.
Bene vbi quid discimus consilium accidisse, hominem cau tum eum.
Esse declaramus: stultum autem illum quoi vortit malè.
Stulti haud scimus. frustra vt simus, quom quod cupienter dari.
Petimus nobis, quasi quid in rem sit, possimus noscere.

Certa amittimus, dum incerta petimus: atque hoc euenit
In labore atque in dolore, vt mors obrepat interim.

Act. 3. sc. 2 ¶ *Hoc hic quidem homines tam breuem vitam colunt,*
Quum hasce herbas huiusmodi in suum aluũ congerunt,
Formidolosas dictu, non esu modo.
Quas herbas pecudes non edunt, homines edunt.
¶ *An tu inuenire postulas quenquam coquum,*
Nisi sit miluinis aut aquilinis vngulis?

Act. 4. sc. 1 ¶ *—Sed ego quæ tibi*
Dona dabo & faciã, si quidẽ hãc rem accurassis sobrie?
S. Potin' vt taceas? memorem immemorem facit, qui monet quod memor
Meminit. teneo, omnia in pectore condita sunt: meditati
Sunt doli docte.

Act. 4. sc. 2 ¶ *Ecquẽ in angiporto hoc hominẽ tu nouisti, te rogo.*
B. Egomet me. S. pauci isthuc faciunt homines, quod tu prædicas.
Nam in foro vix decumus quisque, qui ipsus sese nouerit.

Act. 4. sc. 7 ¶ *—Nunc homo in medio luto est:*
Nomen nescit, hæret hæc res.
¶ *Malus & nequam homo est, qui nihil imperium sui heri seruos facit.*
Nihili est autem, suum qui officium facere est immemor,
Nisi adeò monitus. nam qui liberos esse illico
Se arbitrantur, ex conspectu heri sui si se abdiderunt,
Luxuriantur, lustrantur, comedũt: quod habẽt nomẽ diu
Ii serui sutis ferunt: nec boni ingenij quicquã in his inest,
Nisi vt improbis sese artibus teneant: cum ijs mihi
Nec locus, nec sermo conuenit, ijs nunquam nobilis fui.

¶ Mag

¶ Magnum hoc vitiũ vino est, pedes captat primum: Luctator dolosus est. Act.5.sc.1

EX POENVLO.

¶ Nam tue blanditiæ mihi sunt, quod dici solet, Gerræ germanæ, atq; ædepol λῆροι λήρων. Act.1.sc.1
Nunc mihi blandidicus essat heri in tergo meo
Treis facile corios contriuisti bubulos.

¶ Negotij sibi qui volet vim parare, nauẽ & mulierẽ Act.1.sc.2
Hæc duo sibi comparato: nam nullæ magis res duæ
Plus negotij habent. eas forte si exornare occeperis,
Neq; vnquã hę duæ res satis ornantur, neq; eis vlla satis.
Ornandi satietas est.

¶ Apagesis, negocij in muliere quantum vna est? si vero duæ,
Sat scio maxumo vni populo quoi lubet, plus satis dare
Potes sunt, quæ noctes diesq; in omni ætate semper
Ornantur, lauantur, tergẽtur, poliuntur, postremo modus
Muliebris nullus est: neq; vnquam lauando, & fricando sumus saturæ.
Nam quæ lauta est, nisi perculta est, meo animo quasi inuenusta est.

¶ — Verum hoc vnum tamen cogitato, modus omnibus
In rebus soror est optumum habitu. nimia omnia,
Nimium exhibent negocium hominibus ex se.

¶ Bono ingenio me esse ornatam, q̃ auro multo, mauolo.
Aurum in fortuna inuenitur, natura ingenium bonum.
Bonam ego quàm beatam me esse nimio dici mauolo.
Meretricẽ pudorem gere magis decet, quàm purpuram:

Magis meretricem pudorē, quàm aurum gerere cōdecet.
Pulchrum ornatum turpes mores peius cœno collinunt.
Lepidi mores turpem ornatum facile factis comprobant.
¶ *Ecquid amare videor? M. damnum quod Mercurius minime amat.*
Nanq; ædepol lucrum amare nullum amatorem addecet.
¶ *—Et oleum & operam perdidi.*
Inuendibili merce oportet vltro emptorem adducere.
Proba merx facile emptorem reperit, tametsi in abstruso sita est.
Act.3.sc.1 ¶ *—Tardo amico nihil est quicquam inæquius,*
Præsertim homini amanti, qui quicquid agit, properat omnia.
¶ *Liberos homines p̄ vrbē modico magis par est gradu.*
Ire, seruile esse duco festinantem currere,
Præsertim in re populi placida, atq; interfectis hostibus
Non decet tumultuari.
¶ *Nūc vos q̄a mihi aduocatos dixi, & testeis adducere,*
Podagrosi estis, ac vicistis cochleam tarditudine.
Act.3.sc.3 ¶ *Istic est thesaurus stultis in lingua situs,*
Vt quæstui habeant male loqui melioribus.
¶ *Viam qui nescit, qua deueniat ad mare,*
Eum oportet amnem quærere comitem sibi.
Ego male loquendi vobis nesciui viam:
Nunc vos mihi amnes estis, vos certum est sequi.
Si bene dicetis, vostra ripa vos sequar:
Si maledicetis, vostro gradiar limite.
¶ *Malo benefacere tantundem est periculum,*
Quantum bono malefacere.

¶ *Malo*

¶ Malo si benefacias, id beneficium interit:
Bono siquid malefacias, ætatem expetit.
¶ Calidum prandidisti prandium hodie? dic mihi. Act.3.sc.5
AG. Quid iam? L. quia hoc nūc frigefactas cum rogas.
¶ Nunc hunc, inimicum quia esse sciuerunt meum,
Allegauerunt, suum qui seruum diceret
Cum auro esse apud me. composita est fallacia,
Vt eo me priuent, atq; inter se diuidant.
Lupo agnum eripere postulant nugas agunt.
¶ Verum ita sunt omnes isti nostri diuites: Act.3.sc.6
Siquid benefacias, leuior pluma est gratia:
Siquid peccatum est, plumbeas iras gerunt.
¶ Seruire amanti miseria est: præsertim qui quod amat caret. Act.4.sc.1
¶ —Verba facit emortuo. Act.4.sc.2
¶ —Male partum, male disperit.
¶ Sine pennis volare, haud facile est: meæ alę pennas non habent.
¶ —Omnē operā perdis. S. quid iā? M. quia doctū doces
¶ —Proba materia est, si probum adhibes fabrum.
¶ Incipere multo est, quàm impetrare, facilius. Act.5.sc.2
¶ Multa sunt mulierum vitia: sed hoc è multis vnum maxumum est, Act.5.sc.4
Cum nimis placēt, nimisq; operam dant, vt placeāt viris.
¶ Pro osse linguam obycito: ita hanc ego canem faciam tibi oleo
Tranquilliorem.
¶ Decipitur nemo quidem mea sententia, Act.5.sc.6
Qui suis amicis narrat recte res suas.

EX PERSA.

Act.1.sc.1 ¶ Qui suo hero seruire volt bene seruos seruitutẽ,ng
Aedepol multa illum in pectore collocare oportet suo,
Quæ hero placere præsenti atq; absenti censeat.
¶ – Quid ergo faciam? dijs'ne aduorser? quasi
Titani cum dijs belligerẽ, sat quibus esse non queam?
¶ Qua confidentia rogare tu à me tantum audes
Argentum impudens quin si egomet totus væneam, vix pote est
Recipi, quod tu me rogas. nam tu aquam à pumice nunc postulas,
Qui ipsus sitiat.

Act.1.sc.2 ¶ – Reipublicæ causa qui non id facit magis,
Quàm sui quæsti, animus haud induci potest, eum
Esse ciuem & fidelem, & bonum, sed legirupam quidem ni det in publicum
Dimidium: atq; etiam in ea lege abscribier, vbi quadruplator quempiam
Illexit manum, tantidem ille illi rursus inijciat manum,
Vt æqua parti prodeant ad Treis viros.
Si id fiat, næ isti faxim nusquam appareant,
Qui hic albo pariete aliena oppugnant bona.
¶ – Mane quod tu occeperis
Negotium agere, id totum procedit diem.

Act.2.sc.1 ¶ – Aecastor miser est, qui amat.

Act.2.sc.2 ¶ Male operam locas. S. qui? P. quia enim nihil amas, cum ingratum amas.

Act.2.sc.3 ¶ Virtus est, vbi occasio admonet, despicere.

Inimici

Inimici famam, non ita vt nata est, ferunt. Act. 3. sc. 1
—Hominum immortalis est infamia.
Etiam tum viuit, cum esse credas mortuam.
—Cogita hoc verbum pater,
Herus si minatus est malum seruo suo:
Tametsi id futurum non est, vbi captum est flagrum,
Dum tunicas ponit, quanta afficitur miseria?
Ego nunc quod non futurum est, formido tamen.
—Non tu nunc hominum mores vides
Quoiusmodi? hic cum mala fama facile nubitur:
Dum dos sit, nullum vitium vitio vortitur.
Siquam rem accures sobriè aut frugaliter, Act. 4. sc. 1
Solet illa rectè sub manus succedere
Atque ædepol firme, vt quisque rem accurat suam,
Sic ei procedit, post principio denique
Si malus aut nequa est, male res vortunt, quas agit.
Sin autem frugi est, eueniunt frugaliter.
—Vt munitum muro tibi visum est oppidum? Act. 4. sc. 4
P. *Si incolæ bene sunt morati, pulchrè munitũ arbitror:*
Perfidia, & peculatus ex vrbe, & auaritia si exulant,
Quarta inuidia, quinta ambitio, sexta obtrectatio,
Septimum periurium. V. *euge.* P. *octaua, indulgentia:*
Nona, iniuria: decuma, quod pessumum aggressu, scelus.
Hæc nisi vnde aberunt, centuplex murus rebus seruandis parum est.
—Si quid bonis Act. 4. sc. 5
Boni fit, esse idem & graue & gratum solet.
—Dictum sapienti sat est. Act. 4. sc. 7
Improbus est homo, qui beneficium Act. 5. sc. 1

Scit ſumere, & reddere neſcit.

Act. 5. ſc. 2 *—Stultitia eſt,*
Siquoi bene eſſe licet, eum præuorti litibus.

EX RVDENTE.

Inprologo *Atq; hoc in animum ſceleſti inducunt ſuum,*
Iouem placare ſe poſſe omnibus hoſtijs:
Et operam & ſumptum perdunt: atque id ideo
Fit, quia nihil ei acceptum eſt à periurijs.
Supplici facilius pius à dijs ſupplicans,
Quàm qui ſceleſtus eſt, inueniet veniam ſibi.
Idcirco moneo vos ego hæc, qui eſtis boni,
Quiq; ætatem agitis cum pietate & cum fide:
Retinete porrò poſt factum vt lætemini.

Act. 1. ſc. 2 *Peculioſum eſſe decet ſeruum & improbum,*
Quem hero præſente prætereat oratio,
Aut qui inclementer dicat homini libero.

Act. 1. ſc. 3 *Nimio pol hominum fortunæ minus miſeræ memorantur,*
Quàm reapſe experiundo ijs datur acerbum: hoc deo complacitum eſt.

Act. 2. ſc. 1 *Omnibus modis qui pauperes ſunt, homines miſeri viuunt.*
Præſertim quibus nec quæſtus eſt, nec artẽ didicẽre vllã.
Neceſſitate quicquid eſt domi, id ſat eſt habendum.

Act. 2. ſc. 3 *Multa præter ſpem. ſcio, multis bona eueniſſe:*
At ego etiã qui ſperauerint, ſpem decepiſſe multos.
Ergo animus æquus, optimum eſt ærumnæ cõdimentum.

Act. 3. ſc. 3 *—Neq; eſt melius morte in malis rebus miſeris.*

Nimis

—Nimis homo Act.4.sc.2
Nihil est,qui piger est:nimisq; id genus odi ego male. vigilare
Decet,hominem, qui volt sua tempori conficere officia.
Non enim illud expectare oportet, dum herus se ad suũ suscitet officium.
Nam qui dormiunt lubenter, sine lucro & cum malo quiescunt.
—Quod bene fit bonis, Act.4.sc.3
Haud perit.
Eò tacẽt, quòd tacita bona est mulier semper, quàm loquens. Act.4.sc.4
O Grype Grype,in ætate hominum plurimæ Act.4.sc.7
Fiunt trãnsennæ,vbi decipiuntur dolis:
Atq; ædepol in eas plerunq; esca imponitur:
Quam siquis auidus poscit escam auariter,
Decipitur in transenna auaritia sua.
Ille qui consulte,docte,atque astute cauet,
Diutine vti bene licet partum bene.
Semper cauere,hoc dictum sapientissimum est:
Ne conscij sint ipsi maleficij sui.
Ego mihi quom lusi,nil moror vllum lucrum.
Miserum isthuc verbum & pessimum est, habuisse, & nihil habere. Act.5.sc.3

EX STICHO.

Omneis sapienteis suum officium æquum est colere Et facere. Act.1.sc.1
—Qui manet,vt moneatur semper seruos homo offi- Act.1.sc.2

cium suum,

Nec voluntate id facere meminit: seruos is habitu haud probus est.

Nunquã enim nimis curare possunt parẽtem suũ filiæ:

Quum æquius est nos potiorẽ habere te, postidea viros

Nostros, quibus voluisti nos esse matres familiâs.

Pol ego vxorẽ quęro, postquã vostra mater mortua est

P A. *Facile inuenies & peiorẽ & peius moratam pater,*

Quàm illa fuit: meliorem neq; tu reperies, neq; sol videt.

A. *At ego ex te exquiro, atq; isthac tua sorore.* P I. *ædepol pater,*

Scio, vt oportet esse, si sint, ita vt ego æquum censeo.

A. *Volo scire ergo vt æquum censes.* P I. *vt per vrbem quum ambulent,*

Omnibus os obturent, nequis merito maledicat sibi.

A. *Dic vicissim nunc iam tu.* PA. *quiduis tibi dicã pater?*

A. *Vbi facillume spectatur mulier, quę ingenio est bono?*

P A. *Quoi male faciundi est potestas quæ ne faciat, id temperat.*

A. *Haud male isthuc: age tu, alter avtra sit cõditio pçsior,*

Virginẽ an viduam habere? P I. *quãta mea sapientia est,*

E malis multis, malum quod minimum est, id minimum est malum.

Qui potest mulieres vitare, vitet: vt quotidie

Pridie caueat, ne faciat quod se pigeat postridie.

A. *Quæ tibi mulier videtur multò sapientissuma?*

P A. *Quæ tum quũ res secundæ sunt, se poterit noscere.*

Et quæ æquo animo patietur sibi esse peius, quàm fuit.

Vos ne ego patiar cum mendicis nuptas, me viuo, viris?

P I.

PI. *Placet ille meus mihi mẽdicus: rex suus reginę placet*
Idem animus in paupertate est, qui olim in diuitijs fuit.
Quin vos capitis conditionem ex pessuma primariam?
Stultitia est pater, venatum ducere inuitas canes.
Hostis est vxor pater, inuita quæ ad virum nuptũ datur.
—Paupertas fecit ridiculus forem. Act.2.sc.1
Nam illa omnes artes perdocet, vbi quem attigit.
Sed curiosi sunt hic quàm plures mali,
Alienas res qui curant studio maxumo,
Quibus ipsis nulla est res, quam procurent, sua.
—Curiosus nemo est, quin sit maleuolus.
Ridiculus æque nullus est, quàm dum esurit.
Secundas fortunas decent superbiæ. Act.1.sc.2
—Hoc tu facito cogites: Act.4.sc.1
Vt quoiq; homini res parata est, firmi amici sunt: si labãt
Res lassæ, itidem amici collabascunt. amicos res inuenit.
Quin tu vocasti hominem ad cœnam? E. nequid aduenient perderem.
Atq; eccum tibi lupum in sermone, esuriens adest.
Modestè melius facere sumptum, quàm ampliter, suum quenq; Act.5.sc.4
Decet. quibus diuitiæ domi sunt, scaphio, cautharis, batiocis
Bibunt. nos nostro samiolo poterio, tamen viuimus, nos tamen
Efficimus pro opibus nostra mœnia.
—Ita est ingenium muliebre,
Bene cũ lauta est, tersa, ornata, ficta est, infecta est tamen: Act.5.sc.5
Nimioq; sibi mulier meretrix repperit odium ocyus

Sua immunditia, quàm in perpetuum vt placeat mundi-tia sua.

EX TRINVMMO.

Act.1.sc.2 ¶ *Nota mala res, optuma est: nam ego nunc si ignotam capiam, quid*
Agam nesciam ædepol. Proinde vt bene viuitur, diu Viuitur.

Act.2.sc.1 ¶ *Nunquam*
Amor quẽquam nisi cupidũ hominẽ postulat, se in plagas
Conijcere, eos cupit, eos consectatur, subdole blanditur, ab re
Consulit, blandiloquentulus, harpago, mendax, cupes, auarus,
Elegans, despoliator, latebricolarum hominũ corruptor,
Blandus, inops, celati indagator.

Act.2.sc.2 ¶ *—Qui in amore præcipitauit, peius perit, quàm si saxo saliat.*
Apagesis amor, tuas res tibi habe, amor mihi amicus ne fuas vnquam.
¶ *Noui ego hoc seculum moribus quibus sit, malus bo-num malum*
Esse vult, vt sit sui similis: turbant, miscent mores mali: rapax,
Auarus, inuidus, sacrum prophanum, publicum priuatum habent:
Hiulca gens.
¶ *Qui homo cum animo inde ab ineunte ætate depu-gnat suo,*

Vtrum

Vtrum id itáne esse mauelit, vt eũ animus æquũ censeat,
An ita potius, vt parentes eum esse, & cognati velint?
Si animus hominem perpulit, actum est: si animo seruiuit, non sibi:
Si ipse animum perpulit, dum viuit, victor victorũ cluet.
Tu si animum vicisti potius quàm animus te, est quod gaudeas.
Nimio satius tui opus est, te ita esse, quàm vt animo lubet,
Qui animũ vincũt, quam quos animus, semper probiores
Cluent. L. istbæc ego mihi semper habui ætati tegumẽtũ
Meæ, ne penetrarem me vsquam, vbi esset damni conciliabulum:
Ne noctu irem obambulatum, ne suum adimerem alteri,
Neu tibi ægritudinem pater parerem, parsi sedulo.
Sarta tecta, tua præcepta vsq; habui mea modesta.
☞ Is probus est, quem non pœnitet, quàm probus sit, & frugi bonæ.
Benefacta benefactis alijs pertegito, ne perpluant.
Qui ipsus se contemnit, in eo est indoles industriæ.
☞ Aedepol hominem prædicatum ferme familiariter, qui
Quidem nunquam per virtutẽ rem confregit, atq; eget.
Nihil moror eum tibi esse amicũ cũ eiusmodi virtutibus.
☞ — Ciui
Immunifico scis quid cãtari solet? quod habes, ne habeas.
☞ Sapientiæ ætas condimentũ est, sapiens ætati cibus est.
☞ Non ætate, verum ingenio adipiscitur sapientia.
☞ Sed hoc vnum consolatur me, atq; animum meum, Act. 2. sc. 2
Quia qui nihil aliud, nisi quod sibi soli placet,
Consulit, aduorsum filium nugas agit,

Miser ex animo fit.

Act.2.sc.4 *Sero atque stulte, prius quod cautū oportuit postquā*
Comedit rem, post rationem putat.
—Verecundari neminem.
Apud mensam decet: nam ibi de diuinis atque humanis cernitur.

Act.3.sc.1 *Nimium difficile est reperiri amicum, ita vt nomen*
Cluet, quoi tuam quum rem crederis, sine omni cura dormias.

Act.3.sc.2 *—Nullum beneficium*
Esse duco id, quod quoi facias, non placet.
Ita est amor, ballista vt iacitur, nihil sic celere est, neque volat.
Atque his mores hominum moros, & morosos efficit.
Minus placet magis quod suadetur: quod dissuadetur, placet.
Quū inopia est, cupias: quādo eius copia est, tū non velis.
Ille qui aspellit, is compellit: ille qui non suadet, vetat.
Insanū est & malum inospitum diuorti ad Cupidinem.
Is est honos homini pudico, meminisse officium suum.

Act.4.sc.3 *—Vtinam*
Veteres mores veteris parsimoniæ, potius maiori honori
Hic essent, quàm mores mali. C. dy immortales basilica hic quidem
Facinora inceptat loqui, q. quærit vetera amare. S. hunc
Morem maiorum scias: nam nunc mores nihil faciunt, quod licet,
Nisi quod lubet. ambitio iam more sancta est, libera est à legibus.

Scuta

Scuta iacere, fugereq́; hosteis, more habent licentiam.
Petere honorem, pro flagitio more fit.
¶ Neque istis quicquam lege sanctum est, leges mori seruiunt: mores autem
Rapere properant, quà sacrum, quà publicum. hercle istis malam
Rem magnam moribus dignum est dari. non'ne hoc
Publice animũ aduortis? nam id genus hominũ hominibus
Vniuersis est aduorsum, atq; omni populo malefacit.
Male fidem seruando, illis quoque abrogant etiam fidem, qui nihil
Meritis quippe ex eorũ ingenio ingenium horũ probant:
¶ Si quis mutuũ quid dederit, fit pro proprio perditum
Quum iam repetas, inimicum amicum beneficio inuenis tuo.
Si mage exigere cupias, duarum rerum exoritur optio.
Vel illud quod credideris perdas, vel illum amicum amiseris.
¶ Neque fuit, neque erit, neque esse quenquam hominum interdum Act. 5. sc. 2
Arbitror, quoi fides, fidelitas'que amicum erga æquiparet suum.
¶ Siquid amicũ erga benefeci, aut consului fideliter,
Non videor meruisse laudem, culpa caruisse arbitror.
Nam beneficium homini proprium quod datur, proprium erit.
Quod datum vtendum est, id repetundi copia est, quando velis.
¶ —Tunica propior pallio est. Act. 5. sc. 2

EX TRVCVLENTO.

Act.1.sc.1 ☞ *Non omnis ætas ad perdiscendum sat est: nam antidum is perdiscat,*
Quot pereat modis (neq; ea ratione me absq; se vnquam
Educet Venus, quàm penes amantum summa summarum redit)
Quot amans exemplis ludificetur, quot modis pereat,
Quotq; exoretur exorabilis, quot illic blãditię, quot illic
Iracũdiæ sunt, quot sunt perclamanda, dy vestrã fidẽ. hui
Quid peierandum est, etiam præter munera primum
Dum mœret animus, præmium si obolus est, obeunt tres noctes.
Ducunt interea loci aut æra, aut vinum, aut oleum, aut triticum.
Tentant benignus ne, an bonę frugi sies. quasi in piscinam
Rete qui iaculũ parat, quando abyt rete pessum, abducit:
Infrà sin iecit rete, piscis ne effugiat cauet, dum huc,
Dum illuc rete ore impedit piscis, vsque adeò donicum foras eduxit.
Itidẽ est amator, si id qđ oratur, dedit, atq; est benignus,
Potius quàm frugi bonæ, adduntur noctes: interim ille
Hamum vorat, si semel amoris poculum accepit mere,
Eaq; intra pectus se penetrauit potio, extemplò & ipsus
Perit, & res, & fides. si iratum scortum forte est amatori suo,
Bis perijt amator, ab re, atq; animo simul.

Act.1.sc.2 ☞ *Rationem dicam, quia qui*
Alterum incusat probri, ipsum se intueri oportet.

¶ Dum viuit, hominem noueris: vbi mortuus est, quiescas
Te, dum viuebas, noueram.
¶ —Certe hercle quàm veterrumus
Homini optumus est amicis. non hercle occiderunt mihi etiam
Fundi & ædes.
¶ Actutum fortunæ solent mutarier: varia vita est: nos diuitem. Act. 2. sc. 1
Eum meminimus, atque isti pauperes nos. vertere sese memoria est
Vices sic. quid ita miretur, si eget? necesse est nos patier à vita.
Aequum factũ est, piaculum est misereri nos hominum
Rem male gerentium.
¶ Ad suum quenque æquum est quæstum Act. 2. sc. 4
Esse callidum.
¶ Malè quod mulier incepit, nisi efficere perpetrat, Act. 2. sc. 5
Id illi morbo, id illi senio est, ea illi miseræ miseria est.
Si benefacere incepit, eius enim cito odium percipit.
Nimisque paucæ sunt defessæ, male quæ facere occeperunt
Nimisque paucæ efficiunt, si quid occeperint benefacere.
Mulieri nimio malefacere melius est onus, quàm bene.
¶ Non laudandus est qui plus credit quę audit, quàm Act. 2. sc. 6
Quæ videt. non placet cũ illi plus laudant quæ audiunt,
Quàm quæ vident. pluris est oculatus testis vnus, quàm auriti.
Decem. qui audiũt, audita dicũt: qui vident, planè sciunt.
Non placet quæ scurræ laudant, manipulares mussitant,
Neque illi quorũ lingua gladiorũ aciem præstringit. domi

Strenui

Strenui nimio plus prosunt populo, quàm arguti & cati.
Facile sibi facunditatem virtus arguta inuenit.

Act.2.sc.7 *Qui amat, nequit quin nihili sit, atque improuise partibus expoliet.*
Nam hoc qui sit ita, ne quis id quærat ex me, domi scit quæ facit
Improba facta amator, qui bona sua pro stercore habet, foras
Iubet ferri, metuit publicos, mundissimus est, puras sibi esse vult
Aedeis. domi quicquid habet, perditur ex eo, quandoquidem ipsus
Perditus est, secretò hercle equidem illum adiutabo, neque mea quidem
Opera vnquã nihilominus propere, quàm potest peribit
Nam iam de hoc obsonio, de mina deminui modò quinque
Nummos, mihi detraxit partem herculaneam. nam hoc assimile est,
Quasi de fluuio qui aquam deriuat sibi, nisi deriuetur, tamen
Omnis aqua abeat in mare. nã hoc in mare abijt, misereq;
Perijt sine bona omni gratia. hæc cũ video fieri, suffuror,
Suppilo: de præda prædam capio. meretricem ego item esse reor,
Mare vt est: quod des deuorat, nunquam abundat.

Act.4.sc.2 *Inuidere alij bene esse, tibi male esse, miserum est.*
Qui inuident, egent: illi, quibus inuidetur, rem habent.

Act.4.sc.3 *Plus potest, qui plus*
Valet.

Per

¶ —*Per tua obsecro genua,*
Vt tu istbuc insipienter factum, sapienter feras, mihi que ignoscas,
Quod animi impos vini vitio fecerim. C. *non placet*
In mutum quippiam conferri, quod loqui non potest. nam vinum si
Fabulare possit, se defenderet. non vinum moderari,
Sed vino solent, qui quidem probi sunt: verum
Qui improbus est, siue subbibit, siue adeò caret temeto,
Tamen ab ingenio est improbus.

¶ —*Verum est verbum quod memoratur, vbi amici, Ibidem opes.* Act. 4. sc. 4

¶ *Omnes homines ad suũ quæstum callent, & fastidiunt.* Act. 5. sc. 1

EX COMOEDIIS

TERENTII.

EX ANDRIA.

¶ —*Id arbitror* Act. 1. sc. 1
Apprime in vita esse vtile, vt nequid nimis.
¶ —*Hoc tempore*
Obsequium amicos, veritas odium parit.
¶ —*Ingenium est omnium*
Hominum ab labore procliue ad lubidinem.

¶ *Non hercle intelligo:* S. *non? hem.* D. *non. Dauus sum, non Oedipus.* Act. 1. sc. 2
S. *Nempe ergo aperte vis quæ restant me loqui.* D. *sane quidem.*

¶ *Quanto satius est te id dare operam,* Act. 2. sc. 1

Qui

Qui istum amorē ex animo amoueas tuo, quàm id loqui.
Quo magis libido frustra incendatur tua?
C. *Facile omnes, quum valemus, recta consilia ægrotis damus.*
Tu si hic sies, aliter sentias.

Act.2.sc.5 ¶ *Verum illud verbum est quod vulgò dici solet,*
Omnes sibi melius malle esse, quàm alteri.

Act.3.sc.1 ¶ *Nunc huius periculo fit, ego in portu nauigo.*

Act.3.sc.3 ¶ *Sic hercle est, vt dicam tibi,*
Amantium iræ, amoris redintegratio est.

Act.4.sc.1 ¶ *Hoccine credibile est, aut memorabile,*
Tanta vecordia innata cuiquam vt siet,
Vt malis gaudeant, atque ex incommodis
Alterius sua comparent vt commoda? ah
Id'ne est verum? imò id genus hominum est pessimum. in
Denegando modo quis pudor est paululum.
Pòst vbi tempus promissa iam perfici,
Tum necessario se aperiunt & timent,
Et tamen res cogit denegare. Ibi
Dum impudentissima eorum oratio est,
Quis tu es? quis mihi es? cur meam tibi? heus
Proximus sum egomet mihi.

Act.4.sc.5 ¶ *—Fallacia*
Alia aliam trudit.

Act.5.sc.2 ¶ *—Omnis res est iam in vado.*

Act.5.sc.4 ¶ *At mihi vnus scrupulus etiam restat, qui me male habet.* P. *dignus es*
Cum tua religione, odio. nodum in scirpo quæris.

Act.5.sc.6 ¶ *More hominum euenit, vt quod sim nactus mali,*

Prius

Prius resciscerès tu, quàm ego, quod tibi euenit boni.

EX EVNVCHO.

Nullum est iam dictum, quod non dictum sit prius. In prolog.
Here, quæ res in se neq; consilium, neq; modum Act. 1. sc. 1
Habet vllum, eam consilio regere non potes.
In amore hæc omnia insunt vitia: iniuriæ,
Suspiciones, inimicitiæ, induciæ,
Bellum: pax rursum. incerta hæc si tu postules
Ratione certa facere, nihilo plus agas,
Quàm si des operam vt cum ratione insanias.
Quæ vera audiui, taceo & contineo optime. Act. 1. sc. 2
Sin falsum, aut vanum, aut fictum est, cõtinuo palàm est.
Plenus rimarum sum: hac atq; illac perfluo.
Dij boni quid hoc morbi est? adeo'ne homines immutarier
Ex amore, vt non cognoscas eundem esse?
Dij immortales, homini homo quid præstat? stulto intelligens Act. 2. sc. 1
Quid interest?
Est genus hominum qui esse primos se omnium rerum volunt,
Nec sunt: hos consector: hisce ego non paro me vt rideât
Sed his vltro arrideo, & eorum ingenia admiror simul:
Quicqd dicût, laudo: id rursum si negât, laudo id quoq;
Negat quis? nego: ait? aio. postremo impaui egomet mihi
Omnia assentari: is quæstus nunc est multo vberrimus.
—Hoc nunc dices,
Eiectos hinc nos, Omnium rerum heus vicissitudo est.
—Quid ais inquam, homo impudens? Act. 3. sc. 1

Lepus tute es, & pulpamentum quæris.

Act.4.sc.5 ¶ *Verbum hercle hoc verum est, Sine* Cerere & Libero *friget* Venus.

Act.4.sc.6 ¶ *Scio istbuc: sed tu quod cauere possis, stultum est admittere.*

Act.4.sc.7 ¶ *Omnia prius experiri, quàm armis, sapientē decet.*

¶ –Noui ingenium mulierum,
Nolunt, vbi velis: vbi nolis, cupiunt vltro

Act.5.sc.1 ¶ *Scelesta ouem lupo commisisti.*

Act.5.sc.2 ¶ *At nunc dehinc spero æternam inter nos gratiam*
Fore Thais: *sæpe ex huiusmodi re quapiam, & ex malo principio, magna familiaritas*
Conflata est. quid si hoc quispiam voluit deus?

EX HEAVTON.

Act.1.sc.2 ¶ *Quid reliqui est, quin habeat, quæ quidem in homine dicuntur bona;*
Parentes, patriam incolumen, amicos, genus, cognatos, diuitias.
Atq; hæc perinde sunt, vt illius animus qui ea possidet:
Qui vti scit, ei bona: illi qui non vtitur recte, mala.
¶ *Necesse est* Clitipho *consilia consequi consimilia : hoc*
Scitum est, periculū ex alijs facere, tibi quod ex vsu siet.

Act.2.sc.1 ¶ Nunc ait, Periculum *ex alijs facito, tibi quod ex vsu siet.*
Astutus, næ ille haud scit quam mihi nunc surdo narret fabulam.
Magis nunc me amicæ dicta stimulant, Da mihi, atq; affer mihi.

Nosti

¶ —Nosti mores mulierum, Act. 2. sc. 2
Dum moliuntur, dum comuntur, annus est.

¶ —Nō fit sine periculo facinus magnū et memorabile. Act. 2. sc. 3

¶ —Ademptum tibi iam faxo omnem metum,
In aurem vtramuis otiose vt dormias.

¶ In tempore ad eam veni: quod rerum omniū est primū.

¶ Aut ego profecto ingenio egregie ad miseriam Act. 3. sc. 1
Natus sum: aut illud falsum est, quod vulgo audio
Dici, diem adimere ægritudinem hominibus.
Nam mihi quidem quotidie augescit magis
De filio ægritudo: & quanto diutius
Abest, magis cupio tanto, & magis desydero.

¶ —Deteriores omnes sumus licentia.

¶ —Dij vestram fidem,
Ita ne comparatam esse hominum naturam omnium,
Aliena melius vt videant & iudicent,
Quàm sua? an eò fit quia in re nostra, aut gaudio
Sumus præpediti nimio, aut ægritudine?
Hic mihi quanto nunc plus sapit, quàm egomet mihi?

¶ —Equidem te demiror Chreme, Act. 3. sc. 2
Tam mane, qui here tantum biberis. C. nihil nimis.
S. Nihil narras? visa verò est quod dici solet,
Aquilæ senectus.

¶ Noui ego amantiū animos: aduertunt grauiter quæ non censeas. Act. 3. sc. 3

¶ Nō licet hominē esse sæpe ita vt vult, si res nō sinit. Act. 4. sc. 1
Nunc ita tempus est mihi, vt cupiam filiam: olim nihil minus.

¶ Quid agam? aut quid cōminiscar? ratio de integro Act. 4. sc. 2

ineunda est mihi.
Nibil tam difficile, quin quærendo inuestigari possiet.
Act.4.sc.3 *Quid tum quæso, si hoc pater rescierit?*
S. *Quid si redeo ad illos qui aiunt, Quid si nunc cœlum ruat?*
Act.4.sc.5 *Eò nunc confugies, quid mea? nam mihi datum est?*
Num iussi? num illa oppignerare filiam
Meam me inuito potuit? Verum illud Chreme
Dicunt, ius summum sæpe summa malitia est.
Act.4.sc.6 *Nulla est tam facilis res, quin difficilis fiet,*
Quam inuitus facias.
Act.5.sc.1 *Non'ne id flagitium est, te alijs consilium dare,*
Foris sapere, tibi non posse auxiliarier?
Act.5.sc.2 *–Matres omnes filijs*
In peccato adiutrices, auxilio in paterna iniuria
Solent esse.

EX ADELPHIS.

Act.1.sc.1 *Profectò hoc vere dicunt, si absis vspiam, aut*
Vbi si cesses, euenire ea satiùs est
Quæ in te vxor dicit, & quæ in animo cogitat
Irata: quàm illa quæ parentes propitij.
Vxor si cesses, aut te amare cogitat,
Aut tete amari, aut potare, aut animo obsequi:
Et tibi bene esse soli, cum sibi sit male.
Ego, quia non rediјt filius, quæ cogito,
Quibus nunc solicitor rebus, ne aut ille alserit,
Aut vspiam ceciderit, ac perfregerit aliquid?
–Alij clanculum

Patres

Patres quæ faciunt, quæ fert adolescentia,
Ea ne me celet consuefeci filium.
Nam qui mentiri, aut fallere insuerit patrem, aut
Audebit: tanto magis audebit cæteros.
Pudore & liberalitate liberos
Retinere satius esse credo, quàm metu.
—Errat longè mea quidem sententia,
Qui imperium credat grauius esse aut stabilius,
Vi quod fit, quàm illud quod amicitia adiungitur.
Mea sic est ratio, & sic animum induco meum:
Malo coactus qui suum officium facit,
Dum id rescitum iri credit, tantisper cauet.
Si sperat fore clàm, rursum ad ingenium redit.
Ille quem beneficio adiungas, ex animo facit.
Studet par referre, presens absensq; idem erit.
Hoc patrium est, potius consuefacere filium
Sua sponte rectè facere, quàm alieno metu.
Hoc pater ac dominus interest. hoc qui nequit,
Fateatur nescire imperare liberis.

Homine imperito nunquam quicquam iniustius: *Act.1.sc.2*
Qui nisi quod ipse fecit, nihil rectum putat.

Pecuniam in loco negligere, maximũ interdum est lucrum. *Act.2.sc.2*

—Ego spem pretio non emo.

Isthuc est sapere, non quod ante pedes modo est *Act.3.sc.3*
Videre, sed etiam illa, quæ futura sunt,
Prospicere.

—Hem tibi autem. C. quidnã est? S. lupus in fabula. *Act.4.sc.1*
C. Pater est? S. ipsus est.

Act.4.sc.3 ⸿Omnes quibus res sunt minus secundæ, magis sunt nescio quo modo
Suspiciosi, ad contumeliam omnia accipiunt magis
Propter suam impotentiam: se semper credunt neglegi.

Act.4.sc.5 ⸿Erubuit, salua res est.

Act.4.sc.7 ⸿Placet tibi factum Mitio? M. non, si queam
Mutare: nunc cum non queo, æquo animo fero.
Ita vita est hominum, quasi cum ludas tesseris:
Si illud, quod est maxime opus, iactu non cadit,
Illud quod cecidit forte, id arte vt corrigas.

Act.5.sc.3 ⸿—Vetus verbum hoc quidem est,
Communia esse amicorum inter se omnia.
⸿—O noster Demea
Ad omnia alia ætate sapimus rectius:
Solum vnum hoc vitium affert senectus hominibus,
Attentiores sumus ad rem omnes quàm sat est.

Act.5.sc.4 ⸿Nũquã ita q̃squã bene subducta ratione ad vitã fuit,
Quin res, ætas, vsus semper aliquid apportet noui,
Aliquid moneat: vt illa quæ te scire credas, nescias:
Et quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies.
⸿—Re ipsa repperi,
Facilitate nihil homini esse melius, neque clementia.

Act.5.sc.8 ⸿—Vitium commune omnium est,
Quòd nimiũ ad rem in senecta attenti sumus.
⸿—Suo sibi hunc
Gladio iugulo.

EX HECYRA.

Act.2.sc.1 ⸿—Vno animo omnes socrus oderunt nurus.

Mulieres

F–Mulieres sunt ferme, vt pueri, leui sententia. Act.3.sc.1

F–Qui amat cui odio ipsus est, bis facere stultè dico Act.3.sc.3
Laborem inanem ipsus capit, & illi molestiam affert.

F–Profectò hoc sic est, vt puto, Act.3.sc.3
Omnibus nobis vt res dant sese, ita magni atque humiles sumus.

F–O fortuna vt nunquam perpetuo es bona.

F–Isthuc est sapere, qui, vbicunque opus est, animum possis flectere. Act.4.sc.3

F Censen'te posse reperire vllam mulierem, Act.4.sc.4
Quæ careat culpa? an quia non delinquunt viri?

F–Tua quod nihil refert, percontari desinas. Act.5.sc.3

EX PHORMIONE.

F–Quàm iniquè comparatū est, hi qui minus habēt, Act.1.sc.1
Vt semper aliquid addant ditioribus.

F–Vt nunc sunt mores, adeò res redijt: Act.1.sc.2
Siquis quid reddit, magna habenda est gratia.

F–Is senem per epistolas
Pellexit, modo non monteis auri pollicens.

F–Nam quæ inscitia est
Aduorsum stimulum calces?

F–Scit vti foro.

F Ita plerique ingenio sumus omnes nostri nosmet pœnitet. Act.1.sc.3

F Loquar? ne incēdam? taceam? instigem. purgem me? laterem lauem. Act.1.sc.4

F–Fortes fortuna adiuuat.

F Quamobrem omnes, cum secundæ res sunt maxime, Act.2.sc.1

tum maxime
Meditari secum oportet quo pacto aduorsam ærumnam ferant.
¶ *Alicunde? nihil est dictu facilius.*
Act. 2. sc. 2 ¶ -*Ad te summa solum Phormio rerum redit:*
Tute hoc intristi, tibi omne est exedendum: accingere.
¶ -*Iam pedum visa est via.*
¶ -*Non rete accipitri tenditur neq; miluio,*
Qui malè faciunt nobis. illis, qui nihil faciunt, tenditur:
Quia enim in illis fructus est, in illis opera luditur.
Alijs aliunde est periculum, vnde aliquid abradi potest:
Mihi sciunt nihil esse.
Act. 2. sc. 3 ¶ *Actum, aiunt, ne agas.*
Act. 2. sc. 4 ¶ -*Verum ita est,*
Quot homines, tot sententiæ: suus cuiq; mos.
Act. 3. sc. 2 ¶ -*Cantilenam eandem canis.*
¶ *Mihi'ne domi est? imò quod aiunt, auribus teneo lupũ.*
Act. 3. sc. 3 ¶ *Dictum sapienti sat est.*
¶ *Solus est homo amico amicus.*
Act. 4. sc. 1 ¶ *Pol me detinuit morbus.* P. *vnde? aut qui?* C. *rogas?*
Senectus ipsa est morbus.
Act. 4. sc. 4 ¶ -*Nihil est Antipho*
Quin malè narrando possit deprauarier.
Tu id quod boni est, excerpis: dicis quod mali est.
Act. 5. sc. 2 ¶ *Nostrapte culpa facimus, vt malos expediat esse,*
Dum nimium dici nos bonos studemus & benignos:
Ita fugias ne præter casam quod aiunt.
¶ -*His nunc præmium est, qui recta praua faciunt.*
Act. 5. sc. 8 ¶ *Heus heus, quanta hæc mea paupertas est, tamen*

Adhuc

Adhuc curaui vnum hoc quidem, vt mihi esset fides.
¶ *Verba fiunt mortuo.* Act.5.sc.9

EX VERGILIO.

¶ –*Trahit sua quenque voluptas:* Ecloga 2.
¶ –*Iouis omnia plena.* Ecloga 3.
¶ *Sæuus amor docuit natorum sanguine matrem* Ecloga 8.
Commaculare manus.
¶ –*Non omnia possumus omnes.*
¶ –*Numero deus impare gaudet.*
¶ –*Sors omnia versat.*
¶ *Omnia fert ætas, animum quoque.* Ecloga 6.
¶ *Omnia vincit amor.* Eclog. 10.
¶ *Labor omnia vincit* Georgic. 1
Improbus: & duris vrgens in rebus egestas.
¶ –*Vbi fas versum atque nefas, tot bella per orbem,*
Tam multæ scelerum facies, non vllus aratro
Dignus honos, squallent adductis arua colonis.
Et curuæ rigidum falces curuantur in ensem.
Hinc mouet Euphrates, illinc Germania bellum:
Vicinæ ruptis inter se legibus vrbes
Arma ferunt: sæuit toto Mars impius orbe.
¶ *Optima quæque dies miseris mortalibus æui* Georgic. 3
Prima fugit: subeunt morbi, tristisque senectus,
Et labor, & duræ rapit in clementia mortis.
¶ *Non tamen vlla magis præsens fortuna laborum est,*
Quàm si quis ferro potuit rescindere summum
Vlceris os: alitur vitium, viuitque tegendo.

Non umbræ altorum nemorum, non mollia possunt
Prata mouere animum.

Georgic. 4 *In tenui labor est: at tenuis non gloria. si quem*
Numina læua sinunt, auditq́; vocatus Apollo.

Aeneid. 1 *—Furor arma ministrat:*

Si genus humanum, & mortalia temnitis arma,
At sperate deos memores fandi atq; nefandi.

Aeneid. 2 *Vna salus victis, nullam sperare salutem.*

Aeneid. 4 *Nusquam tuta fides.*

Improbe amor, quid non mortalia pectora cogis?
—Varium & mutabile semper
Fœmina.

Aeneid. 5 *—Quò fata trahunt, retrahuntq́; sequamur.*
Quicquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est.

Aeneid. 6 *Tu ne cede malis, sed contrà audentior ito,*
Quàm tua te fortuna sinet.
—Facilis descensus Auerni,
Noctes atq; dies patet atri ianua Ditis:
Sed reuocare gradum, superasq́; euadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est: pauci quos æquus amauit
Iuppiter, aut ardens euexit ad æthera virtus:
Dijs geniti potuere.

Aeneid. 8 *—Pedibus timor addidit alas.*

Aeneid. 9 *—Vrget præsentia* Turni.

Aenei. 10 *—Rex Iuppiter omnibus idem.*

Audentes fortuna iuuat.

Stat sua cuiq; dies: breue & irreparabile tempus
Omnibus est vitæ. sed famam extendere factis,
Hoc virtutis opus.

Nescia

Nescia mens hominum fati, sortisq; futuræ,
Et seruare modum rebus sublata secundis.
Nulla salus bello. Aenei. 11

EX OVIDIO.

EX METAMORPH.

Viuitur ex rapto: non hospes ab hospite tutus: Metam. 1
Non socer à genero: fratrum quoq; gratia rara est:
Imminet exitio vir coniugis, illa mariti.
Lurida terribiles miscent aconita nouercæ:
Filius ante diem patrios inquirit in annos:
Victa iacet pietas.
–Immedicabile vulnus
Ense recidendum est, ne pars syncera trahatur.
–Nullis amor est medicabilis herbis.
–Nulla potentia longa est. Metam. 2
Heu quàm difficile est crimen non prodere vultu.
Non bene conueniunt, nec in vna sede morantur
Maiestas & amor.
–Scilicet vltima semper
Expectanda dies homini est: diciq; beatus
Ante obitum nemo, supremaq; funera debet.
Et tenuent vigiles corpus miserabile curæ: Metam. 3
–Adducitq; cutem macies.
–Inopem me copia fecit.
–Timidi est optare necem. Metam. 4
–Fas est & ab hoste doceri.
–Ad opem breuis hora ferenda est.

¶ Sed quamuis formæ nunquam mihi fama petita est,
Quamuis fortis eram, formosæ nomen habebam;
Nec mea me facies nimium laudata iuuabat.
Quaq; aliæ gaudere solent, ego rustica dote
Corporis erubui, crimenq; placere putaui.

Metam. 6 *¶ —Non omnia grandior ætas*
Quæ fugiamus habet: seris venit vsus ab annis.

¶ —Nihil est quod non effræno captus amore
Ausit.

¶ Os mutum facti caret indice: grande doloris
Ingenium est: miserisq; venit solertia rebus.

Metam. 7 *¶ —Si possem, sanior essem:*
Sed trahit inuitam noua vis, aliudq; Cupido,
Mens aliud suadet: video meliora, proboq;:
Deteriora sequor.

¶ Vsqueadeò nulla est syncera voluptas:
—Sollicitumq; aliquid lætis interuenit.

Metam. 8 *¶ —Ignauis precibus Fortuna repugnat.*

¶ —Immensa est, finemq; potentia cœli
—Non habet.

Metam. 9 *¶ —Fama loquax peruenit ad aures*
Deianira tuas, quæ veris addere falsa
Gaudet, & è minimo sua per mendacia crescit.

Metam. 10 *¶ —Properata retexite fata,*
Omnia debentur vobis: paulumq; morati,
Serius aut citius sedem properamus ad vnam:
Tendimus huc omnes: hæc est domus vltima, vosq;
Humani generis longissima regna tenetis.

¶ Nec modus & requies, nisi mors, reperitur amoris.

¶ Labitur occulte, fallitq́; volatilis ætas:
Et nihil est annis velocius.
¶ –In audaces non est audacia tuta.
¶ –Audentes deus ipse iuuat.
¶ Aspiciunt oculis superi mortalia iustis. Metam. 13
¶ Nam genus & prauos, & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra voco.
¶ –Turpis sine frondibus arbor.
Turpis equus, nisi colla iubæ flauentia velent:
Pluma tegit volucres, ouibus sua lana decori est:
Barba viros, hirtæq́; decent in corpore setæ.
¶ –Inuia virtuti nulla est via. Metam. 14
¶ –Sed iam felicior ætas
Terga dedit, tremuloq́; gradu venit ægra senectus.
¶ –Dum peiora timentur,
Est locus in voto. fors autem vbi pessima rerum est,
Sub pedibus timor est, securaq́; summa malorum.
¶ –Nihil est toto quod perstet in orbe: Metam. 15
Cuncta fluunt, omnisq́; vagans formatur imago.
Ipsa quoq; assiduo labuntur tempora motu,
Non secus ac flumen: neq; enim consistere flumen,
Nec leuis hora potest: sed vt vnda impellitur vnda,
Vrgeturq́; eadem veniens, vrgetq́; priorem:
Tempora sic fugiunt pariter, pariterq́; sequuntur,
Et noua sunt semper. nam quod fuit antè, relictum est,
Fit quod aut fuerat: momentaq́; cuncta nouantur.
Et paulo pòst,
Quid non in species succedere quattuor annum
Aspicis ætatis peragentem imitamina nostræ?

Nam

Nam tener & lactens, puerisq; simillimus æuo
Vere nouo est: tunc herba recens, & roboris expers
Turget, & insolida est, & spe delectat agrestes.
Omnia tum florent: florumq; coloribus almus
Ludit ager: neq; adhuc virtus in frondibus vlla est.
Transit in æstatem post ver robustior annus:
Fitq; valens iuuenis: neq; enim robustior ætas
Vlla, nec vberior, nec quæ magis ardeat, vlla est.
Excipit autumnus: posito feruore iuuentæ
Maturus mitisq;, inter iuuenemq; senemq;
Temperie medius: sparsus quoque tempora canis.
Inde senilis hyems tremulo venit, horrida passu:
Aut spoliata suos, aut quos habet alba capillos:
Nostra quoq; ipsorum semper requieq; sine vlla
Corpora vertuntur: nec quod fuimus'ue, sumus'ue
Cras erimus: fuit illa dies qua semina tantùm
Spesq; hominum, primæ matrisq; habitauimus aluo:
Artifices natura manus admouit, & angi
Corpora visceribus distentæ condita matris
Noluit, eq; domo vacuas emisit in auras.
Editus in lucem iacuit sine viribus infans:
Mox quadrupedes, rituq; tulit sua membra ferarum.
Paulatimq; tremens & nondum poplite firmo
Constitit: adiutisq; aliquo conamine neruis.
Inde valens veloxq; fuit, spatiumq; iuuentæ
Transit, & emeritis medij quoq; temporis annis
Labitur occiduæ per iter decliue senectæ.
Subruit hæc, æui demoliturq; prioris
Robora: fletq; Milon senior, cum spectat inanes

Illos, qui fuerant solidarum more ferarum
Herculeis similes, fluidos pendère lacertos.
Flet quoque vt in speculo rugas aspexit aniles
Tindaris: & secum cur sit bis rapta, requirit.
Tempus edax rerum, tuq; inuidiosa vetustas,
Omnia destruitis: vitiataq; dentibus æui
Paulatim lenta consumitis omnia morte.
– Sic tempora verti
Cernimus, atque alias assumere robora gentes,
Concidere has. sic magna fuit, censuq; virisq;
Perq; decem potuit tantum dare sanguinis annos:
Nunc humilis veteres tantummodo Troia ruinas,
Et pro diuitijs tumulos ostendit auorum.
–Nec enim fortuna querenda
Sola tua est: similes aliorum respice casus,
Mitius ista feres.

EX I. FASTORVM.

Pluris opes nunc sunt, quàm prisci temporis annis,
Dum populus pauper, dum noua Roma fuit.
Et paulo pòst,
At postquam fortuna loci caput extulit huius.
Et tetigit summo vertice Roma deos:
Creuerunt & opes, & opum furiosa cupido:
Et cum possideant plurima, plura petunt.
Quærere vt absumant, absumpta requirere certant:
Atque ipsæ vitijs sunt alimenta vices.
Sic, quibus intumuit suffusa venter ab vnda:
Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

In pretio pretium nunc est: dat census honores,
Census amicitias: pauper vbiq; iacet.
¶ *Laudamus veteres: sed nostris vtimur annis.*
¶ *Fastus inest pulchris: sequiturq; superbia formam.*
¶ *Est aliquid magnis crimen abesse malis.*
¶ *Conscia mens vt cuiq; sua est: ita concipit intra*
Pectora pro facto spemq; metumq; suo.
¶ *Omne solum forti patria est: vt piscibus æquor,*
Vt volucri vacuo quicquid in orbe patet.
¶ *Nec fera tempestas toto tamen errat in anno:*
Et tibi, crede mihi, tempora veris erunt.
Ex *secũdo* ¶ *—Dij pia facta vident.*
Fastorum. ¶ *Fraude perit virtus.*
¶ *—Quid non amor improbus audet?*
¶ *Fama manet facti, posito velamine currunt:*
Et memorem famam qui bene gessit habet.
¶ *Quisq; sua laudat, studijs certamina crescunt.*
Ex 3. *Fast.* ¶ *Nubere si qua voles, quamuis properabitis ambo,*
Differ: habent paruæ commoda magna moræ.
Ex 4. *Fast.* ¶ *Conscia mens recti, famæ mendacia ridet:*
Sed nos in vitium credula turba sumus.
¶ *—Non sentitur sedulitate labor.*
Ex 5. *Fast.* ¶ *Magna fuit capitis quondam reuerentia cani:*
Inq; suo pretio ruga senilis erat.
¶ *Verba quis auderet coram sene digna rubore*
Dicere? censuram longa senecta dabat.
¶ *—Hominum sententia fallax:*
Optima tu proprij nominis autor eris.
¶ *Est deus in nobis, agitante calescimus illo:*

Impe

Impetus hic sacræ semina mentis habet.
¶ Interdum miscentur tristia lætis:
Nec populum toto pectore festa iuuant.
¶ Sic agitur censura, & sic exempla parantur:
Quum iudex, alios quod monet, ipse facit.
¶ Tempora labuntur, tacitisq; senescimus annis:
Et fugiunt fræno non remorante dies.

EX I. DE REMEDIO AMORIS.

¶ Vtile propositum est sæuas extinguere flammas:
Nec seruum vitij pectus habere suum.
¶ Me duce damnosas homines compescite curas,
Rectaq; cum socijs me duce nauis eat.
¶ Dum licet, & modici tangunt præcordia motus,
Si piget, in primo limine siste pedem.
Opprime, dum noua sunt subiti mala semina morbi:
Et tuus incipiens ire resistat equus.
Nam mora dat vires, teneras mora percoquit vuas:
Et validas segetes, quæ fuit herba, facit:
Quæ præbet lætas arbor spatiantibus vmbras,
Quo posita est primùm tempore, virga fuit.
Tunc poterat manibus summa tellure reuelli,
Nunc stat in immensum viribus aucta suis.
Quale sit id quod amas, celeri circunspice mente,
Et tua læsuro subtrahe colla iugo.
Principijs obsta: sero medecina paratur,
Cum mala per longas conualuere moras:
Sed propera: nec te venturas differ in auras:

Qui non est hodie, cras minus aptus erit.
Verba dat omnis amans, reperitq; alimenta morando:
Optima vindictæ proxima quæque dies.
Flumina magna vides paruis de fontibus orta,
Plurima collectis multiplicantur aquis.
¶ *Vidi ego, quod fuerat primo sanabile vulnus,*
Dilatum longæ damna tulisse moræ.
Sed quia delectat Veneris decerpere fructus,
Dicimus assidue, cras quoq; fiet idem.
Interea tacitæ serpunt in viscera flammæ:
Et mala radices altius arbor agit.
¶ *Dum furor in cursu est, currenti cede furori:*
Difficiles aditus impetus omnis habet.
Stultus, ab obliquo qui cum discedere possit,
Pugnat in aduersas ire natator aquas.
Impatiens animus, nec adhuc tractabilis arte,
Respuit, atq; odio verba monentis habet.
Aggrediar melius tum, cum sua vulnera tangi
Iam finet, & veris vocibus aptus erit.
Quis matrem, nisi mentis inops, in funere nati
Flere vetat? non hoc illa mouenda loco est.
Cum dederit lacrymas, animumq; impleuerit ægrum:
Ille dolor verbis emoderandus erit.
Temporibus medicina valet: data tempore prosunt.
Et data non apto tempore vina, nocent.
Quin etiam accendas vitia, irritesq; vetando,
Temporibus si non aggrediare suis.
Ergo vbi visus eris nostra medicabilis arte,
Fac monitis fugias otia prima meis.

Hæc

Hæc,vt ames,faciunt:hæc,quæ fecere,tuentur:
Hæc sunt iucundi causa cibusq; mali.
Otia si tollas,periere Cupidinis arcus:
Contemptæq; iacent,& sine luce faces.
Quàm platanus riuo gaudet,quàm populus vnda,
Et quàm limosa canna palustris humo:
Tam Venus otia amat.Finem qui quæris amori:
Cedit amor rebus:res age,tutus eris.
¶*Quæritur* Aegisthus *qua re sit factus adulter:*
In promptu causa est:desidiosus erat.
¶*Dura aliquis præcepta vocet mea:dura fatemur*
Esse.sed vt valeas,multa dolenda feres.
Sæpe bibi succos,quamuis inuitus,amaros
Aeger:& oranti mensa negata mihi est.
Vt corpus redimas,ferrum patieris & ignes:
Arida nec sitiens ora leuabis aqua.
Vt valeas animo,quicquam tolerare negabis?
At pretium pars hæc corpore maius habet.
¶*Et mala sunt vicina bonis:errore sub illo*
Pro vitio virtus crimina sæpe tulit.
¶*Ingenium magni liuor detractat Homeri:*
Quisquis es,ex illo Zoile nomen habes.
¶*Summa petit liuor,perflant altissima venti:*
Summa petunt dextra fulmina missi Iouis.

EX II. DE REMED. AMORIS.

¶*Parua necat morsu spatiosum vipera taurum:*
A cane non magno sæpe tenetur aper.
¶*Posse pati facile est:tibi ni patientia desit,*

Protinus ex facili gaudia ferre licet.
Quisquis amas, loca sola nocent, loca sola caueto.
Quò fugis? in populo tutior esse potes.
Nam tibi secretos augent secreta furores:
Est opus auxilio, turba futura tibi est.
Manat amor tectus, si non ab amante recedas:
Turbaq; in hoc omnes ingeniosa sumus.
Proximus à tectis ignis defenditur ægrè.
Vtile finitimis abstinuisse locis.
Non facile esuriens posita retinebere mensa:
Et multam saliens incitat vnda sitim.
Non facile est taurum visa retinere iuuenca:
Fortis equus visæ semper adhinuit equæ.
Ne ue puellarum lacrymis moueare caueto:
Vt flerent oculos erudiere suos.
Artibus innumeris mens oppugnatur amantum:
Vt lapis æquoreis vndiq; pulsus aquis.
Admonitu reuocatur amor, vulnusq; nouarum
Scinditur, & firmis causa pusilla nocet.
Vt pene extinctum cinerem si sulphure tangas,
Viuet, & ex minimo maximus ignis erit:
Sic nisi vitaris quicquid reuocabit amorem,
Flamma redardescet, quæ modo nulla fuit.
Gnosida fecisses inopem, sapienter amasset:
Diuitijs alitur luxuriosus amor.
Non habet vnde suum paupertas pascat amorem:
Non tamen hoc tanti est, pauper vt esse velis.
Eneruant animos citharæ, cantusq;, lyræq;,
Et vox, & numeris brachia mota suis.

Vina

¶ *Vina parant animos Veneri.*

EX EPISTOLIS.

¶ *Res est solliciti plena timoris amor.*
¶ *Heu patior telis vulnera facta meis.*
¶ *Exitus acta probat: careat successibus opto,* Ex 2. epis.
Quisquis ab euentu facta notanda putat.
¶ *Vince animos, iramq; tuam qui cætera vincis.* Ex 3. epis.
¶ *Venit amor grauius, quo serius: vrimur intus,*
Vrimur, & cæcum pectora vulnus habent.
Scilicet vt teneros lædunt iuga prima iuuencos,
Frænaq;, vix capitur de grege captus equus:
Sic male vixq; subit primos rude pectus amores:
Sarcinaq; hæc animo non sedet apta meo.
Ars fit, vbi à teneris crimen condiscitur annis:
Quæ venit exacto tempore, peius amat.
¶ *Sint procul à nobis iuuenes, vt fœmina, compti:*
Fine coli modico forma virilis amat.
¶ *Quod caret alterna requie, durabile non est:*
Hæc reparat vires, fessaq; membra leuat.
Arcus & arma tuæ tibi sint imitanda Dianæ:
Si nunquam cesses tendere, mollis erit.
¶ –*Quid deceat, non videt vllus amans.*
¶ *Leniter ex merito quicquid patiare, ferendum est,* Ex 5. epis.
Quæ venit indignè pœna, dolenda venit.
¶ –*Nulla reparabilis arte*
Læsa pudicitia est, deperit illa semel.
¶ *Me miseram, quòd amor non est medicabilis herbis:*
Destituor prudens artis ab arte mea.

Ex 7.epis. *Non bene cœlestes impia dextra colit.*

Ex 9.epis. *Quàm male inæquales veniunt ad aratra iuuencæ,*
tam premitur magno coniuge nupta minor.
Non honor est, sed onus, species læsura ferentes:
Si qua voles apte nubere, nube pari.

Ex 10.epi. *Occurrunt animo pereundi mille figuræ:*
Morsq; minus pœnæ, quàm mora mortis habet.

Ex 11.epi. *Quid iuuat admota proauorum nomina cælo*
Inter cognatos posse referre Iouem?

Ex 12.epi. *Est aliqua ingrato meritum exprobrare voluptas.*
—Quis enim bene celat amorem?
Eminet indicio prodita flamma suo.
—Sed quid prædicere pœnam
Attinet? ingentes parturit ira minas.

Ex 13.epi. *Fortius ille potest multo qui pugnat amore.*
Nos sumus incertæ: nos anxius omnia cogit,
Quæ possunt fieri, facta putare timor.

Ex 14.epi. *Non faciunt molles ad fera bella manus.*
—Vires subtrahit ipse timor.

Ex 15.epi. *—Quis enim celauerit ignem,*
Lumine qui semper proditur ipse suo?
Quà licet, & possum luctor celare furorem:
Sed tamen apparet dissimulatus amor.

Ex 16.epi. *—Quis enim succenset amanti,*
Si modo quem præfers, non simulatur amor?
—Acceptissima semper
Munera sunt, autor quæ pretiosa facit.
Disce meo exemplo formosis posse carere:
Est virtus, placitis abstinuisse bonis.

Tarda

¶ *Tarda solet magnis rebus inesse fides.*
¶ *An nescis longas regibus esse manus?*
¶ *Dum nouus est, cœpto potius pugnemus amori:*
Flamma recens parua sparsa resedit aqua.
¶ *Certus in hospitibus non est amor: errat vt ipsi:*
Cumq; nihil speres firmius esse, fugit.
Hypsipyle testis, testis Minoia virgo:
In non exhibitis vtraq; iuncta thoris.
¶ *Fallitur augurio spes bona sæpe suo.*
¶ *Longa mora ex nobis omnis quæ gaudia differt.* Ex 18. epi.
¶ *Vrimur igne pari: sed sum tibi viribus impar.*
¶ *Vt corpus teneris, sic mens infirma puellis.*
¶ *Non bene mactato cœlestia numina gaudent:* Ex 19. epi.
Sed quæ præstanda est, & sine teste, fide.

EX LIB. I. DE ARTE AMANDI.

Arte citæ, veloq; rates, remoq; reguntur,
Arte leuis currus: arte regendus amor.
¶ *Vt redit, itq; frequens longum formica per agmen,*
Granifero solitum dum vehit ore cibum:
Aut vt apes saltusq; suos, & olentia nactæ
Pascua, per flores & thyma summa volant:
Sic ruit in celebres cultissima fœmina ludos.
Copia iudicium sæpe morata meum est.
Spectatum veniunt, veniunt spectentur vt ipsæ:
Ille locus casti damna pudoris habet.
¶ *Vina parant animos, faciuntq; caloribus aptos:*
Cura fugit, multo diluiturq; mero.

¶ Fertilior seges est alienis semper in agris:
Vicinumq; pecus grandius vber habet.
¶ Mens erit apta capi tunc cum lætissima rerum,
Vt seges in pingui luxuriabit humo.
Pectora dum gaudent, nec sunt astricta dolore,
Ipsa patent: blanda tum subit arte Venus.
Tunc cum tristis erat, defensa est Ilion armis:
Militibus grauidum læta recepit equum.
¶ Vt fragilis glacies, interit ira mora.
¶ Flectitur iratus voce rogante deus.
¶ Pollicitis diues quilibet esse potest.
¶ Tempore difficiles veniunt ad aratra iuuenci:
Tempore lenta pati fræna docentur equi.
Ferreus assiduo consumitur annulus vsu:
Interit assidua vomer aduncus humo.
Quid magis est durum saxo? quid mollius vnda?
Dura tamen molli saxa cauantur aqua.
¶ —Facile est omnia posse deo.
¶ Tuta frequensq; via est per amici fallere nomen:
Tuta frequensq; licet sit via, crimen habet.
¶ Ebrietas vt vera nocet: sic ficta iuuabit.
¶ Nil nisi turpe iuuat: curæ est sua cuiq; voluptas:
Hæc quoq; ab alterius grata dolore venit.
¶ —Neq; enim lex iustior vlla est:
Quàm necis artifices arte perire sua.
¶ Et lacrymæ prosunt, lacrymis adamanta mouebis.
¶ Attenuant iuuenum vigilatæ corpora noctes.
¶ Quos credis fidos, effuge: tutus eris.
Pectoribus mores tot sunt, quot in orbe figuræ.

EX II. DE ARTE AMANDI.

¶ *Nec minor est virtus, quàm quærere, parta tueri.*
Casus inest illic: hic erit artis opus.
¶ *Ingenium mala sæpe mouent: quis crederet vnquam*
Aërias hominem carpere posse vias?
¶ *Sit procul omne nefas: vt ameris, amabilis esto.*
¶ *Forma bonum fragile est, quantumq; accedit ad annos,*
Fit minor, & spatio carpitur illa suo.
Nec semper violæ, nec semper lilia florent:
Et riget amissa spina relicta rosa.
Et tibi iam venient cani formose capilli:
Iam venient rugæ, quæ tibi corpus arent.
Iam molire animum qui duret, & astrue formam:
Solus ad extremos permanet illa rogos.
¶ *Dextera præcipue capit indulgentia mentes.*
Asperitas odium, sæuaq; bella mouet.
Odimus accipitrem, quia viuit semper in armis:
Et pauidum solitos in pecus ire lupos.
At caret insidijs hominum, quia mitis hirundo est:
Quasq; colat turres Chaonis ales habet.
Este procul lites, & amaræ prælia linguæ:
Dulcibus est verbis mollis alendus amor.
¶ *Flectitur obsequio curuatus ab arbore ramus:*
Franges, si vires experiere tuas.
Obsequio tranantur aquæ: nec vincere possis
Flumina, si contrà, quàm rapit vnda, nates.
Obsequium tigresq; domat, tumidosq; leones:
Rustica paulatim taurus aratra subit.

¶ Cede repugnanti: cedendo victor abibis.
¶ —Amor odit inertes.
¶ Militiæ species amor est: discedite segnes:
Non sunt hæc timidis signa tuenda viris.
Nox, & hyems, longæq; viæ sæuiq; labores,
Mollibus his castris, & dolor omnis inest.
Sæpe ferens imbrem cœlesti nube solutum:
Frigidus in nuda sæpe iacebis humo.
¶ Quid tibi præcipiam teneros quoq; mittere versus?
Hei mihi non multum carmen honoris habet.
Carmina laudantur, sed munera magna petuntur:
Dummodo sit diues, barbarus ille placet.
¶ Aurea sunt vere nunc secula: plurimus auro
Vænit honos: auro conciliatur amor.
Ipse licet venias musis comitatus Homere:
Si nihil attuleris, ibis Homere foras.
¶ Fac tibi consuescat, nihil assuetudine maius.
¶ —Lentescunt tempore curæ:
Vanescitq; absens, & nouus intrat amor.
¶ Sed neq; fuluus aper media tam sæuus in ira est,
Fulmineo rabidos dum rotat ore canes:
Nec lea, cum catulis lactentibus vbera præbet:
Nec breuis ignaro vipera læsa pede:
Fœmina quàm socij deprensa pellice lecti
Ardet, & in vultu pignora mentis habet.
In ferrum flammasq; ruit, positoq; decore
Fertur, vt Aonij cornibus icta dei:
Coniugis admissum, violataq; iura mariti
Barbara per natos Phasias vlta suos.

Altera

Altera dira parens hæc est, quam cernis, hirundo:
Aspice, signatum sanguine pectus habet.
Hoc bene compositos, & firmos rumpit amores.
Crimina sunt cautis ista timenda viris.
¶ Gloria peccati nulla petenda tui est.
¶ Luxuriant animi rebus plerunq; secundis:
Nec facile est æqua commoda mente pati.
¶ Quod iuuat exiguum est: plus est quod lædit amantes:
Proponant animo multa ferenda suo.
Quot lepores in Atho, quot apes pascuntur in Hybla,
Cerula quot baccas Palladis arbor habet,
Littore quot conchæ: tot sunt in amore dolores:
Quæ patimur, multo spicula felle madent.
¶ Ardua molimur: sed nulla, nisi ardua, vincunt:
Difficilis nostra poscitur arte labor.
¶ Eximia est virtus præstare silentia rebus:
At contrà grauis est culpa tacenda loqui.
¶ Quod male fers: assuesce: feres bene: multa vetustas
Lenit: at incipiens omnia sentit amor.
¶ Dum vires, anniq; sinunt, tolerate labores:
Iam veniet tacito curua senecta pede.
¶ Cum mora non tuta est: totis incumbere remis
Vtile, & admisso subdere calcar equo.

EX III. DE ARTE AMANDI.

Venturæ memores iam nunc estote senectæ:
Sic nullum vobis tempus abibit iners.
Dum licet & veros etiam nunc editis annos,
Ludite: eunt anni more fluentis aquæ.

Nec

Nec quæ præterijt rursum reuocabitur vnda:
Nec quæ præterijt hora redire potest.
Vtendum est ætate.cito pede labitur ætas:
Nec bona tam sequitur,quàm bona prima fuit:
¶Quàm cito (me miserum) laxantur corpora rugis:
Et perit in nitido qui fuit ore color.
¶Vestra sine auxilio fugiunt bona:carpite florem:
Qui nisi captus erit,turpiter ipse cadet.
Adde,quòd & partus faciunt breuiora iuuentæ
Tempora:continua messe senescit ager.
¶Sed neq; ramosa numerabis in ilice frondes:
Nec quot apes Hyblæ,nec quot in Alpe feræ:
Nec mihi tot cultus numero comprendere fas est:
Adijcit ornatus proxima quæq; dies.
¶Fœmina caniciem germanis inficit herbis:
Et melior vero quæritur arte color.
Fœmina procedit densissima crinibus emptis:
Proq; suis alios efficit ære suos.
Quid de veste loquar?non iam segmenta requiro:
Nec quæ de Tyrio murice lana rubet.
¶Quò non ars penetrat?discunt lacrymare decenter:
Quoq; volunt plorant tempore,quoq; modo.
¶Sed minimus labor est,sapienter iactibus vti.
Maius opus mores composuisse suos.
¶Quod latet,ignotum est,ignoti nulla cupido.
¶Errat,& in nulla sede moratur amor.
¶Pertinet ad faciem rabidos compescere mores:
Candida pax homines,trux decet ira feras.
¶Est deus in nobis:sunt & commercia cœli.

Sedibus

Sedibus æthereis spiritus ille venit.
¶ Non bene cum socijs Regna Venusq; manent.
¶ Quælibet extinctos iniuria suscitat ignes.
¶ Nupta virum timeat: rata sit custodia nuptæ.
Hoc decet, hoc leges, iusq;, pudorq; iubent.
¶ Munera (crede mihi) placant hominesq;, deosq;:
Placatur donis Iuppiter ipse datis.
Quid faciet sapiens? stultus quoq; munere gaudet:
Ipse quoq; accepto munere mitis erit.

EX I. DE PONTO.

Cumq; sit exilium, magis est mihi culpa dolori:
Estq; pati pœnam, quàm meruisse minus.
Vt mihi dij faueant, quibus est manifestior ipse:
Pœna potest demi, culpa perennis erit.
Mors faciet certe, ne sim, cum venerit, exul.
Ne non peccarim, mors quoq; non faciet.
¶ Sic mea perpetuos curarum pectora morsus,
Fine quibus nullo conficiantur habent.
Nec prius hi mentem stimuli, quàm vita, relinquent:
Quiq; dolet citius quàm dolor ipse cadet.
¶ Nescit enim Cæsar (quamuis deus omnia norit) Ex eleg. 3
Vltimus hic qua sit conditione locus.
¶ Non est in medico semper releuetur vt æger: Ex eleg. 4
Interdum docta plus valet arte malum.
¶ Afferat ipse licet sacras Epidaurius herbas:
Sanabit nulla vulnera cordis ope.
Tollere nodosam nescit medicina podagram:
Nec formidatis auxiliatur aquis.

Cura

Cura quoque interdum nulla medicabilis arte:
Aut si fit, longa est attenuanda mora.
¶ *Rursus amor patriæ ratione valentior omni:*
Quod tua fecerunt scripta, retexit opus.
¶ *Nescio qua natale solum dulcedine cunctos*
Ducit, & immemores non sinit esse sui.
Quid melius Roma? Scythico quid frigore peius?
Huc tamen ex illa barbarus vrbe fugit.
Cum bene sint clausæ cauea Pandione natæ,
Nititur in syluas quæque redire suas:
Assuetos tauri saltus, assueta leones,
Nec feritas illos impedit, antra petunt.
Ex eleg. 5 ¶ *Iam mihi deterior canis aspergitur ætas:*
Iamque meos vultus ruga senilis arat:
Iam vigor, & casso languent in corpore vires:
Nec iuueni lusus placuere, iuuant.
Nec me, si subito videas, cognoscere possis:
Aetatis facta est tanta ruina meæ.
Confiteor facere hoc annos: sed & altera causa est,
Anxietas animi, continuusque labor.
¶ *Cernis vt in duris (& quid boue firmius?) aruis,*
Fortia taurorum corpora frangat opus?
Quæ nunquam vacuo solita est cessare nouali:
Fructibus assiduis lassa senescit humus.
Occidet, ad Circi siquis certamina semper
Non intermissis cursibus ibit equis.
Firma sit illa licet, soluetur in æquore nauis,
Quæ nunquam liquidis sicca carebit aquis.
¶ *Me quoque debilitat series immensa laborum:*

Ante meum tempus cogor & esse senex.
¶ Otia corpus aluntanimus quoq; pascitur illis.
Immodicus contrà carpit vtrunq; labor.
¶ Cernis vt ignauum corrumpant otia corpus? Ex eleg.6
Vt capiant vitium,ni moueantur,aquæ?
Et mihi si quis erat ducendi carminis vsus,
Deficit:estq; minor factus inerte situ.
¶ Artibus ingenuis (quarum tibi maxima cura est) Ex eleg.7
Pectora mollescunt,asperitasq; fugit.
Spes igitur menti pœnæ Græcine leuandæ,
Non est ex toto nulla relicta meæ.
Hæc dea,cum fugerent sceleratas numina terras,
In dijs inuisa sola remansit humo.
Hæc facit,vt videat quum terras vndiq; nullas
Naufragus,in medijs brachia iactet aquis.
Hæc facit vt viuat fossor quoq; compede vinctus:
Liberaq; à ferro crura futura putet.
Sæpe aliquem solers medicorum cura reliquit:
Nec spes huic,vena deficiente,cadit.
Carcere dicuntur clausi sperare salutem:
Atq; aliquis pendens in cruce vota facit.
Hæc dea quàm multos laqueo sua colla ligantes
Non est proposita passa perire nece.
Me quoq; conantem gladio finire dolorem
Arguit,iniecta continuitq; manu.
Quidq; facis?lacrymis opus est,non sanguine,dixit:
Sæpe per has flecti principis ira solet.
Quamuis est igitur meritis indebita nostris:
Magna tamen spes est in bonitate dei.

Et

Ex eleg.8 *Et mala nasonem quoniam meruisse videtur:*
Si non ferre doles: at meruisse dole.

Ex eleg.9 *Ah nimium est quod amice petis: moderatius opta,*
Et voti, quæso contrahe vela tui.

Ex ele.10 *Si modo non sensus, nec clarum nomen auorum:*
Sed probitas magnos, ingeniumq; facit.

EX II. LIB. DE PONTO.

–Tendit in ardua virtus.

Ex eleg.3 *Turpe quidem dictu sed (si modo vera fatemur)*
Vulgus amicitias vtilitate probat.
Ipse decor recti, facti si præmia desint,
Non mouet, & gratis pœnitet esse probum.
Nil, nisi quod prodet, charum est: en detrahe menti
Spem fructus auidæ: nemo petendus erit.
At reditus iam quisq; suos amat: & sibi quid sit
Vtile, sollicitis computat articulis.
Illud amicitiæ quondam venerabile nomen
Prostat, & in quæstu pro meretrice sedet.
Diligitur nemo, nisi cui fortuna secunda est:
Quæ simul intonuit, proxima quæq; fugat.
En ego non paucis quondam munitus amicis,
Dum flauit velis aura secunda meis:
Vt fera nimboso tumuerunt æquora vento,
In medijs lacera naue relinquor aquis.
–Perseq; petenda est
Externis virtus incomitata bonis.

Ex eleg.5 *Scilicet ingenijs aliqua est concordia iunctis:*
Et seruat studij fœdera quisq; sui.

Rusticus

Rusticus agricolam, miles fera bella gerentem:
Rectorem dubiæ nauita puppis amat.
¶ Turpe erit in miseris veteri tibi rebus amico Ex eleg. 6
Auxilium nulla parte tulisse tuum.
Turpe referre pedem, nec passu stare tenaci:
Turpe laborantem deseruisse ratem.
Turpe sequi casum, & fortunæ cedere amicum,
Et nisi sit felix, esse negare suum.
Non ita vixerunt Strophio, atque Agamemnone nati:
Non hæc Aegidæ, Pirithoiq; fides.
Quos prior est mirata, sequens mirabitur ætas:
In quorum plausu tota theatra sonant.
¶ Proxima subsequitur quid agas, audire voluntas Ex eleg. 7
Et modo siquid agas, sit tibi cura mei:
Nec dubito quin sit: sed me timor ipse malorum
Sæpe super uacuos cogit habere metus.
Da veniam quæso, nimioq; ignosce timori:
Tranquillas etiam naufragus horret aquas.
Qui semel est læsus fallaci piscis ab hamo,
Omnibus vnca cibis æra subesse putat.
Sæpe canem visum longe fugit agna, lupumq;
Credit: & ipsa suam nescia vitat opem.
Membra reformidant mollem quoque saucia tactum,
Vanaq; sollicitis incitat vmbra metum.
Sic ego fortunæ telis confixus iniquis,
Pectore concipio nil, nisi triste, meo.
¶ Iam dolor in morem venit meus: vtq; caducis
Percussu crebro saxa cauantur aquis,
Sic ego continuo Fortunæ vulneror ictu:

Vixq́; habet in nobis iam noua plaga locum:
Nec magis aßiduo vomer tenuatur ab vsu:
Nec magis est curuis Appia trita rotis:
Pectora quàm mea sunt seriæ calcata malorum:
Et nihil inueni, quod mihi ferret opem.
Artibus ingenuis quæsita est gloria multis:
Infelix perij dotibus ipse meis.
Ex eleg. 9 *Regia, crede mihi, res est succurrere lapsis:*
Conuenit & tanto, quantus es ipse, viro.
Conueniens hominum est, hominem seruare, voluptas:
Et melius nulla quæritur arte fauor.
Ex ele. 10 *Sunt tamen inter se communia sacra poëtis:*
Diuersum quamuis quisque sequamur iter.
Ex ele. 11 *Acer, & ad palmæ per se cursurus honores:*
Si tamen horteris, fortius ibit equus.

EX III. LIB. DE PONTO.

Ex eleg. 2 *Corpora debentur mœstis exanguia bustis:*
Effugiunt structos nomen, honosq́; rogos.
Occidit & Theseus, & qui comitauit Orestem:
Sed tamen in laudes viuit vterq; suas.
Nomen amicitiæ barbara corda mouet.
Ex eleg. 4 *Vtq́; reformidant insuetum lumina solem:*
Sic ad letitiam mens mea segnis erat.
Est quoq; cunctarum nouitas gratißima rerum:
Gratiaq; officio, quod mora tardat, abest.
Scripta placent à morte quidem: quia lædere viuos
Liuor, & iniusto carpere dente solet.
Vt desint vires, tamen est laudanda voluntas:

Hac

Hac ego contentos suspicor esse deos.
Hæc facit, vt veniat pauper quoq; gratus ad aras:
Et placeat, cæso, non minus agna, boue.
¶ *Crede mihi, miseris cœlestia numina parcunt:* Ex eleg. 6
Nec semper læsos & sine fine premunt.
Principe nec nostro deus est moderatior vllus:
Iustitia vires temperat ille suas.
¶ *Desine mitem animum vano infamare timore:*
Sæua quid in placidis saxa vereris aquis?
¶ *Hoc quoq; Naso feres, etenim maiora tulisti:* Ex eleg. 7
Iam tibi sentiri sarcina nulla potest.
Ductus ab armento taurus detractat aratrum:
Subtrahit & duro colla nouella iugo.
Nos, quibus assueuit fatum crudeliter vti,
Ad mala iam pridem non sumus vlla rudes.
¶ *Curando fieri quædam maiora videmus*
Vulnera: quæ melius non tetigisse fuit.
¶ *Dignus es argento, fuluo quoq; dignior auro:* Ex eleg. 8
Sed te, cum donas, ista iuuare solent.
¶ *Scribentem iuuat ipse fauor, minuitq; laborem:* Ex eleg. 9
Cumq; suo crescens pectore feruet opus.
¶ *Læta ferè lætus cecini: cano tristia tristis,*
Conueniens operi tempus vtrunq; suo est.
¶ *Cum toties eadem dicam, vix audior vlli:*
Verbaq; profectu dissimulata carent.

EX IIII. LIB. DE PONTO.

¶ *Excitat auditor studium: laudataq; virtus* Ex eleg. 1
Crescit, & immensum gloria calcar habet.

Ex eleg.3 ¶ *Dum mea puppis erat valida fundata carina:*
Qui mecum velles currere, primus eras.
Nunc quia contraxit vultum fortuna, recedis,
Auxilio postquam scis opus esse tuo.
¶ *Quid facis, ah, demens? cur, si fortuna recedat,*
Naufragio lachrymas eripis ipse tuo?
Hæc dea non stabili, quàm sit leuis, orbe fatetur,
Quæ summum dubio sub pede semper habet.
¶ *Omnia sunt hominum tenui pendentia filo:*
Et subito casu, quæ valuere, ruunt.
Diuitis audita est cui non opulentia Crœsi?
Nempe tamen vitam captus ab hoste tulit.
Ille Syracosia modo formidatus in vrbe,
Vix humilis duram reppulit arte famem.
Quid fuerat Magno maius? tamen ille rogauit
Summissa fugiens voce clientis opem.
Cuiq; viro totus terrarum paruit orbis,
Indigus effectus omnibus esse magis.
Ille Iugurthino clarus, Cymbroq; triumpho,
Quo victrix toties consule Roma fuit,
In cœno Marius iacuit, cenaq; palustri:
Pertulit & tanto multa pudenda viro.
Ludit in humanis diuina potentia rebus:
Et certam præsens vix habet hora fidem.
Tu quoque fac timeas: & quæ tibi læta videntur,
Dum loqueris, fieri tristitia posse puta.
Ex eleg.4 ¶ *Nulla dies adeò est australibus humida nimbis,*
Non intermissis vt fluat imber aquis.
Nec sterilis locus vllus ita est, vt non sit in illo

Mixta

Mixta ferè duris vtilis herba rubis.
¶Parua quidem, fateor, pro magnis munera reddi, Ex eleg. 8
Cum pro concessa verba salute damus.
Sed qui quam potuit dat maxima, gratus abunde est:
Et finem pietas contigit illa suum.
Nec quæ de parua pauper dijs libat acerra
Tura, minus grandi, quàm data lance, valent.
Agnaq; tam lactens, quàm gramine pasta Phalisco,
Victima Tarpeios inficit icta focos.
¶Carmine fit viuax virtus, expersq; sepulchri
Notitiam seræ posteritatis habet.
Tabida consumit ferrum lapidemq; vetustas:
Nullaq; res maius tempore robur habet.
¶Gutta cauat lapidem, consumitur annulus vsu: Ex ele. 10
Et teritur pressa vomer aduncus humo.
¶Nec qd agã, inuenio: nec quid nolim'ue, velim'ue: Ex ele. 12
Nec satis vtilitas est mea nota mihi.
Crede mihi miseros prudentia prima relinquit:
Et sensus cum re, consiliumq; fugit.
¶—Res immoderata cupido est. Ex ele. 15

EX I. LIB. AMORVM.

¶Vror, & in vacuo pectore regnat amor. Ex eleg. 1
¶Cedimus? an subitum luctando accendimus ignem?
Cedamus: leue fit quod bene fertur onus.
Vidi ego iactatas, mota face, crescere flammas:
Et vidi nullo concutiente mori.
¶Multa miser timeo, quia feci multa proterue: Ex eleg. 4
Exempliq; metu torqueor ipse mei.

Ex eleg.6 ¶ *Nox & amor, vinumq; nihil moderabile suadent:*
Illa pudore vacat, Liber amorq; metu.

Ex eleg.7 ¶ *At tu ne dubita, minuet vindicta dolorem.*
Quaslibet infirmas adiuuat ira manus.

Ex eleg.8 ¶ *Labitur occulte, fallitq; volatilis ætas:*
Et celer admissis labitur annus equis:
¶ *Impia sub dulci melle venena latent.*

Ex eleg.9 ¶ *Militat omnis amans, & habet sua castra Cupido.*
Attice, crede mihi, militat omnis amans.
¶ *Quis, nisi vel miles, vel amans, & frigora noctis,*
Et denso mistas perferet imbre niues?
¶ *Mars dubius, nec certa Venus, victiq; resurgunt:*
Quosq; neges vnquam posse iacere, cadunt.
¶ *Qui non vult fieri desidiosus, amet.*

Ex ele.10 ¶ *Non bene conducti vendunt periuria testes:*
Non bene selecti iudicis arca patet.
Turpe reos empta miseros defendere lingua,
Quod faciat magnas turpe tribunal opes.
¶ *Non habet euentus sordida præda bonos.*
Non fuit armillas tanti tetigisse Sabinas:
Vt premerent sacræ virginis arma caput.
Ex quibus exierat, traiecit viscera ferro
Filius, & pœnæ causa monile fuit.
¶ *Scindentur vestes, gemmæ frangentur & aurum:*
Carmina quam tribuent fama, perennis erit.

Ex ele.15 ¶ *Pascitur in viuis liuor: post fata quiescit.*
Tunc suus ex merito quenq; tuetur honos.

EX II. AMORVM.

Ex eleg.2 ¶ *Quis minor est autem, quàm tacuisse, labor?*

¶ *Aequo*

Aequo animo pœnam, qui meruere ferunt. Ex eleg. 7
Infelix, tota quicunque quiescere nocte Ex eleg. 9
Sustinet & somnos præmia magna vocat.
Stulte quid est somnus, gelidæ nisi mortis imago?
Longa quiescendi tempora fata dabunt.
Tu leuis es, multoq; tuis ventosior alis:
Gaudiaq; ambigua dasq;, negasq; fide.
—At vos, quod quisque loquatur, Ex ele. 11
Credite: credenti nulla procella nocet.
Verba puellarum folijs leniora caducis: Ex ele. 16
Irritaq;, vt visum est, ventus, & vnda ferunt.
Quod licet ingratum est: quod nō licet, acrius vrit. Ex ele. 19

EX III. AMORVM.

Dure vir, imposito teneræ custode puellæ, Ex eleg. 4
Nil agis: ingenio quæque tuenda suo est.
Siqua metu dempto casta est, ea denique casta est:
Quæ, quia non liceat, non facit, illa facit.
Vt iam seruaris bene corpus, adultera mens est:
Nec custodiri (ni velit) vlla potest.
Nec mentem seruare potes, licet omnia claudas:
Omnibus exclusis, intus adulter erit.
Cui peccare licet, peccat minus: ipsa potestas
Semina nequitiæ languidiora facit.
Nitimur in vetitum semper, cupimusq; negata:
Sic interdictis imminet æger aquis.
Centum fronte oculos, centum ceruice gerebat
Argus, & hos vnus sæpe fefellit amor.
In thalamo Danaë saxo, ferroq; perenni

Quæ fuerat virgo tradita, mater erat.
Penelope mansit (quamuis custode careret)
Inter tam multos intemerata procos.
Ex eleg.6 *¶ Quid mihi fortunæ tantum? quid regna sine vsu?*
Quid, nisi possedi diues auarus opes?
Sic aret medijs taciti vulgator in vndis:
Pomaq;, quæ nullo tempore tangat, habet.
Ex eleg.7 *¶ Ingenium quondam fuerat pretiosius auro:*
At nunc barbaria est grandis, habere nihil.
¶ Iuppiter admonitus nihil esse potentius auro,
Corruptæ prætium virginis ipse fuit.
Dum merces aberat, durus pater, ipsa seuera:
Aerati postes, ferrea turris erat.
Sed postquam sapiens in munera venit adulter:
Præbuit ipsa sinus, & dare iussa, dedit.
¶ Curia pauperibus clausa est, dat census honores:
Inde grauis iudex: inde seuerus eques.
Ex eleg.8 *¶ Scilicet omne sacrum mors importuna prophanat:*
Omnibus obscura inijcit illa manus.
Ex ele.10 *¶ Multa diuq; tuli, vitijs patientia victa est.*
Cede fatigato pectore turpis amor.
¶ Perfer & obdura, dolor hic tibi proderit olim:
Sæpe tulit fessis succus amarus opem.

EX LIB. I. TRISTIVM.

Iudicis officium est, vt res, ita tempora rerum
Quærere: quæsito tempore tutus eris.
¶ Carmina proueniunt animo deducta sereno:
Nubila sunt subitis tempora nostra malis.

Carmina secessum scribentis & otia quærunt.
Me mare, me venti, me fera iactat hyems.
¶ *Difficile est tamen hic remis vtaris, an aura,*
Dicere: consilium resq; locusq; dabunt.
¶ *Scilicet vt fuluum spectatur in ignibus aurum:* Ex eleg. 4
Tempore sic duro est inspicienda fides.
Dum iuuat, & vultu ridet Fortuna sereno:
Indelibatas cuncta sequuntur opes.
At simul intonuit, fugiunt: nec noscitur vlli
Agminibus comitum qui modo cinctus erat.
¶ *Donec eris felix, multos numerabis amicos:* Ex eleg. 8
Tempora si fuerint nubila, solus eris.
Aspicis vt veniant ad candida tecta columbæ?
Accipiat nullas sordida turris aues?
Horrea formicæ tendunt ad inania nunquam:
Nullus ad amissas ibi amicus opes.
Vtq; comes radios per solis euntibus vmbra est,
Cum latet hic pressus nubibus illa fugit:
Mobile sic sequitur fortunæ lumina vulgus:
Quæ simul inducta nube teguntur, abit.

EX II. LIB. DE TRISTIB.

Nil prodest, quod non lædere possit idem.
Igne quid vtilius? siquis tamen vrere tecta
Apparat audaces instruit igne manus.
Eripit interdum, modo dat, medicina, salutem.
Quæq; iuuet monstrat: quæq; sit herba nocens.
Et latro & cautus præcingitur ense viator:
Ille sed insidias, hic sibi portat opem.

EX LIB. III. DE TRISTIB.

Ex eleg. 4 ¶ *Nam quanquam soli possunt prodesse potentes:*
Non prosunt, potius plurimùm obesse solent.
Effugit hybernas demissa antenna procellas:
Lataq; plus paruis vela timoris habent.
¶ *Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit: & intra*
Fortunam debet quisq; manere suam.
¶ *Tu quoq; formida nimium sublimia semper:*
Propositiq; precor contrahe vela tui.
¶ *Viue sine inuidia, mollesq; inglorius annos*
Exige: amicitias & tibi iunge pares.
Ex eleg. 5 ¶ *Vt cecidi, cunctiq; metu fugere ruinam.*
Versaq; amicitiæ terga dedere meæ.
¶ *Quo quisq; est maior, magis est placabilis iræ:*
Et faciles motus mens generosa capit.
Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni:
Pugna suum finem, cum iacet hostis habet.
At lupus, & turpes instant morientibus vrsi:
Et quæcunq; minor nobilitate fera est.
Ex eleg. 7 ¶ *Sunt & opes modicæ, cum sis dignissima magnis:*
Finge sed immensis censibus esse pares.
Nempe dat & quodcunq; libet fortuna, rapitq;:
Irus & est subito, qui modo Crœsus erat.
Ex ele. 11 ¶ *In causa facili cuius licet esse diserto:*
Et minimæ vires frangere quassa valent.
Subruere est arces, & stantia mœnia virtus:
Quilibet ignaui præcipitata premunt.

Ex lib.

EX LIB. IIII. DE TRISTIB.

¶ Fleq; meos casus: est quædam flere voluptas: Ex eleg. 3
Expletur lacrymis, egeriturq; dolor.
¶ Materiamq; tuis tristem virtutibus imple.
Ardua per præceps gloria vadit iter.
Hectora quis nosset, felix si Troia fuisset?
Publica virtutis per mala facta via est.
Ars tua Typhi iacet, si non sit in æquore fluctus:
Si valeant homines, ars tua Phœbe vacet.
Quæ latet, inq; bonis cessat non cognita rebus,
Apparet virtus, arguiturq; malis.
Dat tibi nostra locum tituli fortuna, caputq;
Conspicuum pietas quo tua tollat habet.
Vtere temporibus, quorum nunc munere freta es:
Et patet in laudes area lata tuas.
¶ Tempore ruricolæ patiens fit taurus aratri, Ex eleg. 5
Præbet & incurvo colla premenda iugo.
Tempore paret equus lentis animosus habenis:
Et placido duros accipit ore lupos.
Tempore Pœnorum compescitur ira leonum:
Nec feritas animo, quæ fuit antè, manet.
Quæq; sui iussis obtemperat Inda magistri
Bellua, seruitium tempore victa subit.
Tempus vt extensis tumeat facit vua racemis:
Vixq; merum capiant grana, quod intus habent.
Tempus & in canas semen producit aristas:
Et ne sint tristi poma sapore, facit.
Hoc dentem tenuat terram renouantis aratri:

Hoc

Hoc rigidos silices, hoc adamanta terit.
Hoc etiam sæuas paulatim mitigat iras.
Hoc minuit luctus, mœstaq; corda leuat.
Cuncta potest igitur tacito pede lapsa vetustas:
Præter quam curas attenuare meas.
Ex eleg.7 ¶ Nil adeò validum est (adamas licet alliget illud,
Vt maneat rapido firmius igne Iouis.
Nil ita sublime est, supraq; pericula tendit,
Non sit vt inferius, suppositumq; deo.

EX LIB. V. DE TRISTIB.

¶ Deniq; nulla mihi captatur gloria: quæq;
Ingenij stimulos subdere fama solet.
Ex eleg.2 ¶ Scilicet exiguis prodest annosa vetustas:
Grandibus accedunt tempore damna malis.
Ex eleg.6 ¶ Scilicet aduersis probitas exercita rebus,
Tristi materiam tempore laudis habet.
Si nihil infesti durus vidisset Vlysses,
Penelope felix, sed sine laude foret.
Ex eleg.7 ¶ Turpius eijcitur, quàm non admittitur hospes.
Ex eleg.9 ¶ Vilia qui quondam miseris alimenta negarat:
Nunc mendicato pascitur ille cibo.
Passibus ambiguis fortuna volubilis errat:
Et manet in nullo certa tenaxq; loco.
Sed modo læta manet, vultus modo sumit acerbos:
Et tantum constans in leuitate sua est.
Nos quoq; floruimus: sed flos fuit ille caducus:
Flammaq; de stipula nostra breuisq; fuit.
Ex ele.13 ¶ Plus valet humanis viribus ira Dei.

¶ -Ingen

¶-Ingenium longa rubigine læsum
Torpet: & est multo, quàm fuit antè, minus.
Fertilis assiduo si non renouetur aratro,
Nil nisi cum spinis gramen habebit ager.
¶ Deniq; non paruas animo dat gloria vires:
Et facunda facit pectora laudis amor.
¶ Rara quidem est virtus, quam nō fortuna gubernat: Ex ele. 14
Quæ maneat stabili, cum fugit illa, pede.

EX ELEGIA DE MEDICAMINE FACIEI.

Fœminea vestri potiuntur lege mariti:
Et vix ad cultus nupta quod addat habet.
¶ Laudatas homini volucris Iunonia pennas
Explicat, & forma multa superbit auis.
¶ Prima sit in vobis morum tutela puellæ:
Ingenio facile conciliante placent.
Certus amor morum est: formam populabitur ætas,
Et placidus rugis vultus aratus erit.
Tempus erit quo vos speculum vidisse pigebit:
Et veniet rugis altera causa dolor.
Sufficit, & longum probitas perdurat in æuum:
Perq; suos annos hinc bene pendet amor.

EX EPISTOLA AD LIVIAM.

Hei mihi quàm facile est, quamuis hoc contigit omnes
Alterius luctu fortia verba loqui.
¶ Facta duces viuent, operosáq; gloria rerum:

Hæc manet, hæc auidos effugit vna rogos.
Fata manent omnes, omnes expectat auarus
Portitor, & turbæ vix satis vna ratis.
Tendimus huc omnes, metam properamus ad vnam.
Omnia sub leges mors vocat atra suas.
Vita data est vtenda: data est sine fœnore nobis
Mutua, nec certa persoluenda die.
Fortuna arbitrijs tempus dispensat vbiq;
Illa rapit iuuenes, sustulit illa senes.
Quaq; ruit furibunda ruit: totumq; per orbem
Fulminat, & cæcis cæca triumphat equis.
Sed rigidum ius est, & ineuitabile mortis:
Stant rata non vlla fila tenenda manu.
Quid numeras annos? vixi maturior annis.
Acta senem faciunt: hæc numeranda tibi.

EX ODIS HORATII, SIVE LIB. I. CARMINVM.

Luctantem Icarijs fluctibus Africum
Mercator metuens, otium & oppidi
Laudat rura sui. mox reficit rates
Quassas indocilis pauperiem pati.
Ex ode 3. *Audax omnia perpeti.*
Gens humana ruit per vetitum nefas:
Nil mortalibus arduum est:
Cœlum ipsum petimus stultitia: neq;
Per nostrum patimur scelus
Iracunda Iouem ponere fulmina.

Pallida

¶ Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas Ex ode 4.
Regumq́; turres:ò beate Seſti.
Vitæ ſumma breuis,ſpem nos vetat inchoare longam.
Iam te premet nox,fabulæq́;,manes:
Et domus exilis Plutonia.

¶ Albus vt obſcuro detergit nubila cœlo Ex ode 7.
Sæpe Nothus,nec parturit imbres
Perpetuos:ſic tu ſapiens finire memento
Triſtitiam,vitæq́; labores
Molli Plance mero.

¶ Quid ſit futurum cras,fuge quærere: & Ex ode 9.
Quem ſors dierum cunq; dabit,lucro
Appone.

¶ Tu ne quæſieris (ſcire nefas) quem mihi,quem tibi Ex ode 11
Finem dij dederint Leuconoë,nec Babylonios
Tentaris numeros:vt melius quicquid erit pati:
Seu plures hyemes,ſeu tribuit Iuppiter vltimam.
¶ —Et ſpatio breui
Spem longam reſeces:dum loquimur,fugerit inuida
Aetas.carpe diem,quàm minimum credula poſtero.

¶ Felices ter & amplius, Ex ode 13
Quod irrupta tenet copula:nec malis
Diuulſus querimonijs
Suprema citius ſoluet amor die.

¶ Integer vitæ,ſcelerisq́; purus, Ex ode 22
Non eget Mauri iaculis,nec arcu,
Nec venenatis grauida ſagittis
Fuſce pharetra.
Siue per Syrtes iter æſtuoſas,

Siue

Siue facturus per inhospitalem
Caucasum, vel quæ loca fabulosus
Lambit Hydaspes.

Ex ode 24 ‖ *Durum, sed leuius fit patientia,*
Quicquid corrigere est nefas.

Ex ode 28 ‖ *—Omnes vna manet mors,*
Et calcanda semel via leti.
‖ *Mixta senum ac iuuenum densantur funera: nullum*
Sæua caput Proserpina fugit.

Ex ode 34 ‖ *—Valet ima summis*
Mutare, & insignem attenuat deus
Obscura promens. hic apicem rapax
Fortuna cum stridore acuto
Sustulit: hinc posuisse gaudet.

EX LIB. II. CARMINVM.

‖ *Nullus argento color est auaris*
Abdito terris inimice lamnæ
Crispe Sallusti, nisi temperato
Splendeat vsu.
Viuet extento Proculeius æuo,
Notus in fratres animi paterni,
Illum aget penna metuente solui
Fama superstes,
Latius regnes auidum domando
Spiritum, quàm si libyam remotis
Gadibus iungas, & vterque Pœnus
Seruiat vni.
Crescit indulgens sibi dirus hydrops:

Nec

Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis, & aquosus albo
Corpore languor.

¶ Aequam memento rebus in arduis Ex ode 3.
Seruare mentem.
¶ Diues ne prisco natus ab Inacho
Nil interest, an pauper, & infima
De gente sub diuo moreris,
Victima nil miserantis orci.
Omnes eôdem cogimur, omnium
Versatur vrna, serius, ocyus
Sors exitura: & nos in æternum
Exilium impositura cymbæ.

¶ Rectius viues Licini, neq; altum Ex ode 10
Semper vrgendo, neq; dum procellas
Cautus horrescis, nimium premendo
Littus iniquum.
Auream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tecti, caret inuidenda
Sobrius aula.
Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus, & celsæ grauiore casu
Decidunt turres, feriuntq; summos
Fulgura montes.
Sperat infestis, metuit secundis
Alteram sortem bene præparatum
Pectus: informes hyemes reducit
Iuppiter: idem

Submouet. non si male nunc, & olim
Sic erit: quondam cithara tacentem
Suscitat musam, neq; semper arcum
Tendit Apollo.
Rebus angustis animosus, atq;
Fortis appare: sapienter idem
Contrahes vento nimium secundo
Turgida vela.

Ex ode 13 ¶ *Quod quisq; vitet, nunquam homini satis*
Cautum est in horas.

Ex ode 14 ¶ *Heu heu fugaces Posthume Posthume*
Labuntur anni: nec pietas moram
Rugis, & instanti senectæ
Affert, indomitæq; morti.
¶ *–Scilicet omnibus,*
Quicunq; terræ munere vescimur,
Enauiganda, siue reges,
Siue inopes erimus coloni.

Ex ode 16 ¶ *Viuitur paruo bene, cui paternum*
Splendet in mensa tenui salinum:
Nec leues somnos timor, aut Cupido
Sordidus aufert.
¶ *Lætus in præsens animus: quod vltrà est,*
Oderit curare: & amara læto
Temperet risu. nihil est ab omni
Parte beatum.

EX LIB. III. CARMINVM

Ex ode 2. ¶ *Dulce & decorum est pro patria mori.*

¶ Mors & fugacem persequitur virum:
Nec parcit imbellis iuuentæ
Poplitibus, timidoq; tergo.
Virtus repulsæ nescia sordidæ
Intaminatis fulget honoribus:
Nec sumit, aut ponit secures
Arbitrio popularis auræ,
Virtus recludens immeritis mori,
Cœlum negata tentat iter via,
Cœtusq; vulgares: & vdam
Spernit humum fugiente penna.
¶ Rarò antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo.
¶ Iustũ & tenacem propositi virum, **Ex ode 3.**
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida: neq; auster
Dux inquieti turbidus Hadriæ,
Nec fulminantis magna Iouis manus.
Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ.
¶ Qui terram inertem, qui mare temperat **Ex ode 4.**
Ventosum, & vrbes, regnaq; tristia,
Diuosq;, mortalesq; turbas
Imperio regit vnus æquo.
¶ Vis consilij expers, mole ruit sua.
Vim temperatam dij quoq; prouehunt
In maius: ijdem odere vires
Omnes nefas animo mouentes.

Ex ode 6. ¶ *Damnosa quid non imminuit dies?*
Aetas parentum peior auis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Ex ode 16 ¶ *Crescentem sequitur cura pecuniam,*
Maiorumq; fames. Iure perhorrui,
Late conspicuum tollere verticem.
¶ *—Bene est, cui deus obtulit*
Parca, quod satis est, manu.

Ex ode 24 ¶ *Priuignis mulier temperat innocens:*
Nec dotata tegit virum
Coniunx: nec nitido fidit adultero.
Dos est magna parentium
Virtus, & metuens alterius viri
Certo fœdere castitas:
Et peccare nefas, aut pretium mori.
¶ *Virtutem incolumem odimus:*
Sublatam ex oculis quærimus inuidi.
¶ *Quid tristes querimoniæ,*
Si non supplicio culpa reciditur?
Quid leges sine moribus
Vanæ proficiunt? si neq; feruidis
Pars inclusa caloribus
Mundi, nec Boreæ finitimum latus,
Durataeq; solo niues
Mercatorem abigunt, horrida callidi
Vincunt æquora nautæ?
Magnum pauperies opprobrium iubet
Quiduis & facere & pati:

Virtu

Virtutisq; viam deserit arduæ.
¶–Scelerum si bene pœnitet,
Eradenda Cupidinis
Praui sunt elementa, & teneræ nimis
Mentes asperioribus
Formandæ studijs.
¶–Scilicet improbæ
Crescunt diuitiæ: tamen
Curtæ nescio quid semper abest rei.
¶Prudens futuri temporis exitum Ex ode 29
Caliginosa nocte premit deus,
Ridetq; si mortalis vltra
Fas trepidat. quod adest, memento
Componere æquus: cætera fluminis
Ritu feruntur.
¶–Ille potens sui
Lætusq; degetcui licet, In diem,
Dixisse, vixi.
¶Fortuna sæuo læta negocio, &
Ludum insolentem ludere pertinax,
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alij benigna.

EX LIB. IIII. CARMINVM.

¶Fortes creantur fortibus & bonis: Ex ode 4.
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.
Doctrina sed vim promouet insitam:

Rectiq; cultus pectora roborant.
Vtcunque defecere mores,
Dedecorant bene nata culpæ.

Ex ode 7. *Immortalia ne speres, monet annus, & almũ*
Quæ rapit hora diem.
Frigora mitescunt Zephyris, ver proterit æstas
Interitura, simul
Pomifer autumnus fruges effuderit, & mox
Bruma recurrit iners.
Damna tamen celeres reparant cœlestia lunæ:
Nos vbi decidimus:
Quò pius Aeneas, quò Tullus diues & Ancus?
Puluis & vmbra sumus.
Quis scit, an adijciant hodiernæ crastina vitæ
Tempora dij superi?
Cuncta manus auidas fugient hæredis amico
Quæ dederis animo.
Cum semel occideris, & de te splendida Minos
Fecerit arbitria,
Non Torquate genus, non te facundia, non te
Restituet pietas.
Infernis neq; enim tenebris Diana pudicum
Liberat Hippoplytum.
Nec lethea ualet Theseus abrumpere charo
Vincula Perithoo.

Ex ode 9. *—Rectius occupat*
Nomen beati, qui deorum
Muneribus sapienter vti,
Duramq; callet pauperiem pati:

Peiusq;

Peiusq; leto flagitium timet,
Non ille pro charis amicis,
Aut patria timidus perire.
¶ *Misce stultitiam consilijs breuem.* Ex ode 12
Dulce est desipere in loco.

EX EPODON LIBRO.

Beatus ille qui procul negotijs,
Vt prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis,
Solutus omni fœnore.
Neq; excitatur classico miles truci:
Nec horret iratum mare:
Forumq; vitat, & superba ciuium
Potentiorum limina.
¶ *Licet superbus ambules pecunia,*
Fortuna non mutat genus.

EX LIB. DE ARTE POETICA.

¶ —*Pictoribus atq; poëtis*
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.
¶ —*Pater & iuuenes patre digni,*
Decipimur specie recti: breuis esse laboro:
Obscurus fio.
¶ *Vt syluæ folijs pronos mutantur in annos,*
Prima cadunt: ita verborum vetus interit ætas,
Et iuuenum ritu florent modo nata, vigentq;.
Debemur morti nos nostraq; siue receptus

Terra Neptunus classes Aquilonibus arcet
Regis opus, sterilisq; diu palus, aptaq; remis
Vicinas vrbes alit, & graue sentit aratrum.
Seu cursum mutauit iniquum frugibus annis
Doctus iter melius: mortalia facta peribunt:
Nedum sermonum haud stet honos, & gratia viuax.
Multa renascentur, quæ iam cecidere: cadentq;
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet vsus.
Cur nescire pudens praue, quàm discere, malo?
Parturient montes, nascetur ridiculus mus.
Reddere qui voces iam scit puer, & pede certo
Signat humum, gestit paribus colludere, & iram
Colligit ac ponit temere, & mutatur in horas:
Imberbis iuuenis, tandem custode remoto
Gaudet equis, canibusq;, & aprici gramine campi,
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Vtilium tardus prouisor, prodigus æris,
Sublimis, cupidusq;, & amata relinquere pernix.
Conuersis studijs ætas, animusq; virilis
Quærit opes & amicitias: inseruit honori:
Commisisse cauet, quod mox mutare laboret.
Multa senem circumueniunt incommoda: vel quòd
Quærit, & inuentis miser abstinet, ac timet vti:
Vel quòd res omnes timide, gelideq; ministrat
Dilator, spe longus, iners auidusq; futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, censor, castigatorq; minorum.
Multa ferunt anni venientes commoda secum
Multa recedentes adimunt.

¶ Segnius irritant animos demissa per aurem,
Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus, & quæ
Ipse sibi tradit spectator.
¶ Aut prodesse volunt, aut delectare poëtæ:
Aut simul & iucunda & idonea dicere vitæ.
¶ Quicquid præcipies, esto breuis: vt cito dicta
Percipiant animi dociles, teneantq́; fideles.
¶ Ficta voluptatis causa sint proxima veris.
¶ Omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci,
Lectorem delectando, pariterq́; monendo
¶ Sunt delicta tamen quibus ignouisse velimus.
Nam neq; chorda sonum reddit, quē vult manus, & mēs:
Poscentiq; grauem, persæpe remittit acutum:
Nec semper feriet quodcunq; minabitur arcus.
¶ –Quandoq; bonus dormitat Homerus.
¶ Tu nihil inuita dices, facies' ue Minerua.
¶ –Si quid tamen olim
Scripseris, in Meti descendat iudicis aures,
Et patris, & nostras: nonumq́; prematur in annum.
Membranis intus positis delere licebit,
Quod non ediderís. nescit vox missa reuerti.
¶ Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit, fecitq́; puer: sudauit, & alsit:
Abstinuit Venere & Baccho.
¶ Nunquam te fallant animi sub vulpe latentes.

EX LIBRO PRIMO SATYRARVM.

Quî fit Mecœnas, vt nemo quam sibi sortem,

Seu ratio dederit, seu sors obiecerit, illa
Contentus viuat, laudet diuersa sequentes?
O fortunati mercatores, grauis annis
Miles ait, multo iam fractus membra labore.
Contrà mercator nauem iactantibus Austris,
Militia est potior. quid enim? concurritur, horæ
Momento, aut cita mors venit, aut victoria læta.
Agricolam laudat iuris legumq; peritus,
Sub galli cantum consultor vbi ostia pulsat.
Ille datis vadibus, qui rure extractus in vrbem est,
Solos felices viuentes clamat in vrbe.
¶ Ille grauem duro terram qui vertit aratro
Perfidus hic caupo, miles, nautæq; per omne
Audaces mare qui currunt, hac mente laborem
Sese ferre, senes vt in otia tuta recedant,
Aiunt: cum sibi sint congesta cibaria. sicut
Paruula (nam exemplo est) magni formica laboris
Ore trahit quodcunq; potest, atq; addit aceruo
Quem struit, haud ignara, ac non incauta futuri:
Quæ simul inuersum contristat Aquarius annum:
Non vsquam prorepit, & illis vtitur antè
Quæsitus sapiens, cum te neq; feruidus æstus
Dimoueat lucro, neq; hyems, ignis, mare, ferrum:
Nil obstet tibi, dum ne sit te ditior alter.
Quid iuuat immensum te argenti pondus & auri
Furtim defossa timidum deponere terra?
Quid? si comminuas, vilem redigatur ad assem.
At ni id fit, qd habet pulchri constructus aceruus?
Millia frumenti tua triuerit area centum:

Non

Non tuus hoc capiet venter plus quàm meus.
At bona pars hominum decepta cupidine falso,
Nil satis est, inquit.
Tantalus à labris sitiens, fugientia captat
Flumina. quid rides? mutato nomine de te
Fabula narratur: congestis vndiq; saccis
Indormis inhians, & tanquam parcere sacris
Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis.
Nescis quid valet nummus, quem præbeat vsum?
Panis ematur, olus, vini sextarius: adde,
Queis humana sibi doleat natura negatis.
An vigilare metu exanimem, noctesq; diesq;
Formidare malos fures, incendia, seruos,
Ne te compilent fugientes, hoc iuuat? horum
Semper ego optarem pauperrimus esse bonorum.
At si condoluit tentatum frigore corpus,
Aut alius casus lecto te affixit: habes qui
Assideat, fomenta paret, medicum roget, vt te
Suscitet, ac reddat natis, charisq; propinquis.
Non vxor saluum te vult, non filius: omnes
Vicini oderunt, noti, pueri, atq; puellæ.
Miraris cum tu argento post omnia ponas,
Si nemo præstet, quem non merearis, amorem?
Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines:
Quos vltra, citraq; nequit consistere rectum.
–Nemo vt sit auarus
Se probet, ac potius laudet diuersa sequentes:
Quodq; aliena capella gerat distentius vber,
Tabescat: neq; se maiori pauperiorum

Turbæ

Turbæ compareret: hunc atq; hunc superare laboret:
Sic festinanti semper locupletior obstat.
Vt cum carceribus missos rapit vngula currus,
Instat equis auriga suis vincentibus, illum
Præteritum temnens, extremos inter euntem.
Inde fit vt raro qui se vixisse beatum
Dicat, & exacto contentus tem pore vitæ
Cedat, vti conuiua satur, reperire queamus.

Ex Saty. 2 ¶ *Nil fuerit, mi, inquit, cum vxoribus vnquam alienis,*
Verum cum mimis & cum meretricibus: vnde
Fama malum grauius, quàm res trahit. an tibi abunde
Personam satis est, non illud quicquid vbiq;
Officit, euitare? bonam deperdere famam,
Rem patris oblimare, malum est vbicunq;. quid inter
Est in matrona, ancilla, peccés ne togata?

Ex Saty. 3 ¶ *Meuius absentem Nouium cum carperet, heus tu,*
Quidam ait, ignoras te? an tu ignotum dare nobis
Verba putas? egomet mi ignosco, Meuius, inquit.
Stultus & improbus hic amor est, dignusq; notari.
Cum tua peruideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitijs tam cernis acutum,
Quàm aut aquila, aut serpens Epidaurius?
¶ *–Deniq; teipsum*
Concute, num tibi quid vitiorum inseuerit olim
Natura, aut etiam consuetudo mala. nanq;
Neglectis vrenda filix innascitur agris.
At pater vt gnati, sic nos debemus amici,
Si quod sit vitium, non fastidire. Et paulò pòst.
¶ *Hæc res & iungit, iunctos & seruat amicos:*

At nos

At nos virtutes ipsas inuertimus,atq;
Syncerum cupimus vas incrustare: probus quis
Nobiscum viuit,multum demissus homo:illi
Tardo cognomen pingui damus.hic fugit omnes
Insidias,nulliq; malo latus obdit apertum:
Cum genus hoc inter vitæ versetur,vbi acris
Inuidia,atq; vigent vbi crimina:pro bene sano,
Ac non incauto,fictum,astutumq; vocamus.
Simplicior quis & est (qualem me sæpe libenter
Obtulerim tibi Mecœnas) vt forte legentem,
Aut tacitum impellat quouis sermone modestus,
Communi sensu plane caret,inquimus eheu
Quàm temere in nosmet legem sancimus iniquam:
Nam vitijs nemo sine nascitur.
Qui ne tuberibus proprijs offendat amicum,
Postulat,ignoscet verrucis illius:æquum est,
Peccatis veniam poscentem reddere rursus.
Deniq; quatinus excidi penitus vitium iræ,
Cætera item nequeunt stultis hærentia:cur non
Ponderibus modulisq; suis ratio vtitur,ac res
Vt quæq; est,ita supplicijs delicta coercet?
Quis paria esse ferè placuit peccata:laborant
Cum ventum ad verum est:sensus,moresq; repugnant,
Atq; ipsa vtilitas iusti probè mater & æqui.
—Absentem qui rodit amicum: Ex Saty.4
Qui non defendit alio culpante:solutos
Qui capit risus hominum,famamq; dicacis:
Fingere qui non visa potest:commissa tacere
Qui nequit,hic niger est,hunc tu Romane caueto.

Auidos

–Auidos vicinum funus vt ægros
Exanimat, mortisq; metu sibi parcere cogit:
Sic teneros animos aliena opprobria sæpe
Absterrent vitijs.

EX LIB. II. SERMONVM.

Ex *Saty.* 2 *Quæ virtus, & quanta bonis sit viuere paruo,*
Nec meus hic sermo est, sed quem præcepit Ofellus.
–Male verum examinat omnis
Corruptus iudex.
Ieiunus rarò stomachus vulgaria temnit.
Accipe nunc, victus tenuis, quæ quantaq; secum
Afferat: in primis valeas bene: nam variæ res
Vt noceant homini, credas memor illius escæ,
Quæ simplex olim tibi cederit: at simul assis
Miscueris elixa, simul conchylia turdis:
Dulcia se in bilem vertent, stomachoq; tumultum
Lenta feret pituita: vides vt pallidus omnis
Cœna desurgat dubia? quin corpus onustum
Hesternis vitijs, animum quoq; prægrauat vnà,
Atq; affigit humo diuinæ particulam auræ.
Alter vbi dicto citius curata sopori
Membra dedit vegetus, præscripta ad numina surgit.
Nam propriæ telluris herum natura neq; illum,
Nec me, nec quenquam statuit.
–Quocirca viuite fortes,
Fortiaq; aduersis opponite pectora rebus.

Ex *Saty.* 3 *Si male rem gerere, insani: contrà, bene, sani est.*
–Omnis enim res,

Virtus, fama, decus, diuina, humanaq; pulchris
Diuitijs parent: quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, iustus, sapiens, etiam rex,
Et quicquid volet, hoc veluti virtute paratum,
Sperauit magnæ laudi fore.

¶ *Nil agit exemplum, quod litem lite resoluit.*
Si quis emat citharas, emptas comportet in vnum
Nec citharæ studio, nec musæ deditus vlli:
Si scalpra, & formas non sutor, nautica vela.
Auersus mercaturis: delirus & amens
Vndiq; dicatur merito: quid discrepat istis,
Qui nummos aurumq; recondit, nescius vti
Compositis, metuensq; velut contingere sacrum?

¶ *Nimirum insanus paucis videatur, eò quòd*
Maxima pars hominum morbo iactatur eodem.

¶ —*O' here quæ res*
Nec modum habet, neq; consilium, ratione, modoq;
Tractari non vult. in amore hæc sunt mala, bellum,
Pax rursum.

¶ *Et genus, & virtus, nisi cum re, vilior alga est.* Ex Saty. 5

¶ —*Neq; vlla est* Ex Saty. 6
Aut magno, aut paruo leti fuga. quo bene circa
Dum licet, in rebus iucundis viue beatus.
Viue memor quàm sis æui breuis.

¶ *Quisnam igitur liber? sapiens, sibiq; imperiosus,* Ex Saty. 7
Quem neq; pauperies, neq; mors, neq; vincula terrent
Responsare cupidinibus, contemnere honores:
Fortis, & in seipso totus teres atq; rotundus.

¶ —*Ingenium res* Ex Saty. 8

Aduersa

Aduersæ nudare solent, celare secundæ.

EX LIB. I. EPISTOLAR.

Ex epist. 1 *¶ Est quodam prodire tenus, si non datur vltrà.*
¶ Inuidus, iracundus, iners, vinosus, amator,
Nemo adeò ferus est, vt non mitescere possit,
Si modo culturæ patientem commodet aurem.
¶ Virtus, est vitium fugere: & sapientia prima
Stultitia caruisse.
¶ Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.
¶ Ne cures ea quæ stulte miraris, & optas
Discere, & audire: & meliori credere non vis.
¶ Vilius argentum est auro, virtutibus aurum.
¶ Si quadringentis sex, septem milia desint,
Est animus tibi, sunt mores, & lingua, fidesq́;
Plebs eris. at pueri ludentes, Rex eris, aiunt,
Si rectè facies. hic murus aheneus esto
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.
Roscia dic sodes, melior lex? an puerorum
Nænia, quæ regnum recte facientibus offert,
Et maribus Curijs, & decantata Camillis?
Ex epist. 2 *¶ Vt iugulent homines surgunt de nocte latrones*
Vt te ipsum serues, non expergisceris?
¶ —Si non
Intendes animum studijs & rebus honestis,
Inuidia, vel amore vigil torquebere. nam cur
Quæ lædunt oculos, festinas demere, si quod
Est animum, differs curandi tempus in annum?

Dimidium

¶ Dimidium facti, qui cœpit, habet: sapere aude,
Incipe: viuendi qui recte prorogat annum
Rusticus, expectat dum defluat amnis. at ille
Labitur, & labetur in omne volubilis æuum.
¶ Quæritur argentum, puerisq; beata creandis
Vxor, & incultæ pacantur vomere syluæ:
Quod satis est, cui contingit, nil amplius optet.
Non domus & fundus, non æris aceruus, & auri
Aegroto domini deduxit corpore febres,
Non animo curas. valeat possessor oportet,
Si comportatis rebus bene cogitat vti.
Qui cupit aut metuit, iuuat illum sic domus, & res,
Vt luppum pictæ tabulæ: fomenta podagram:
Auriculas citharæ collecta sorde dolentes.
Syncerum est nisi vas, quodcunq; infundis, acescit.
Sperne voluptates: nocet empta dolore voluptas.
Semper auarus eget, certum voto pete finem.
Inuidus alterius, macrescit rebus opimis.
Inuidia Siculi non inuenere tyranni
Maius tormentum. qui non moderabitur iræ,
Infectum volet esse, dolor quod suaserit & mens,
Dum pœnas odio per vim festinat inulto.
Ira furor breuis est. animum rege: qui nisi paret,
Imperat: hunc frænis, hunc tu compesce catena.
Fingit equum tenera docilem ceruice magister
Ire viam, quam monstrat eques: venaticus ex quo
Tempore ceruinam pellem latrauit in aula,
Militat in syluis catulus. nunc adhibe puro
Pectore verba puer: nunc te melioribus offer.

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem
Testa diu.

Ex epist. 4 ¶ *Inter spem curamq́; timores inter & iras,*
Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.
Grata superueniet, quæ non sperabitur hora.

Ex epist. 5 ¶ *Nil admirari propè res est vna Numici,*
Solaq́; quæ possit facere, & seruare beatum.
¶ *Insani sapiens nomen ferat, æquus iniqui:*
Vltrà, quàm satis est, virtutem si petat ipsam.

Ex epi. 10 ¶ *Quem res plus nimio delectauere secundæ,*
Mutatæ quatient: siquid mirabere, pones
Inuitus: fuge magna: licet sub paupere tecto
Reges, & regum vita percurrere amicos.
Ceruus equum pugna melior communibus herbis
Pellebat, donec minor in certamine longo
Implorauit opes hominis, frænumq́; recepit.
Sed postquam victor violens discessit ab hoste,
Non equidem dorso, non frænum depulit ore:
Sic qui pauperiem veritus potiore metallis
Libertate caret, dominum vehet improbus: atq;
Seruiet æternum, qui paruo nesciet vti.
Cui non conueniet sua res, vt calceus olim
Si pede maior erit, subuertet: si minor, vret.
Lætus sorte tua viues sapienter Aristi.

Ex epi. 11 ¶ *Imperat, aut seruit collecta pecunia cuiq;*
Tortum digna sequi, potius quàm ducere funem.
¶ *Tu quancunq; deus tibi fortunauerit horam,*
Grata sume manu: nec dulcia differ in annum.
Vt quocunq; loco fueris, vixisse libenter
Te dicas.

Te dicas. nam si ratio & prudentia curas,
Non locus effusi late maris arbiter aufert:
Cœlum, non animum mutant, qui trans marè currunt.
Strenua nos exercet inertia: nauibus atq;
Quadrigis petimus bene viuere, quod petis hic est.
Est Vlubris, animus si te non deficit æquus.
¶ *Fructibus Agrippæ Siculis, quos colligis Icci,* Ex epi. 12
Si recte frueris, non est vt copia maior
Ab Ioue donari possit tibi: tolle querelas.
Pauper enim non est cui rerum suppetit vsus.
Si ventri bene, si lateri est, pedibusq; tuis, nil
Diuitiæ poterunt regales addere maius.
¶ *Rure ego viuentem, tu dicis in vrbe beatum.* Ex epi. 14
Cui placet alterius, sua nimirum est odio sors.
Stultus vterq; locum immeritum causatur iniquè.
In culpa est animus, qui se non effugit vnquam.
¶ *Optat ephippia bos piger, optat arare caballus:*
Quam scit vterq; libens (censebo) exerceat artem.
¶ *Tu recte viuis, si curas esse quod audis.* Ex epi. 17
Iactamus iampridem omnes te Roma beatum.
Sed vereor ne cui de te plus, quàm tibi, credas:
Ne'ue putes alium sapiente bonoq; beatum.
¶ *Stultorum incurata pudor malus vlcera celat.*
¶ *Falsus honor iuuat, & mendax infamia terret*
Quem, nisi mendosum, & mendacem? vir bonus est quis?
Qui consulta patrum, qui leges, iuraq; seruat.
¶ *Cautus enim metuit foueam lupus, accipiterq;*
Suspectos laqueos, & opertum miluius hamum.
Oderunt peccare boni virtutis amore:

Oderunt peccare mali formidine pœnæ.
¶ *Quo melior seruo, quo liberior sit auarus,*
In triuijs fixum cum se demittit ob assem,
Non video. nam qui cupiet, metuet quoq; porro
Qui metuens viuit, liber mihi non erit vnquam.
Perdidit arma, locum virtutis deseruit, qui
Semper in augenda festinat, & obruitur re.
¶ *Vir bonus & sapiens audebit dicere, Pentheu*
Rector Thebarum quid me perferre, patiq;
Indignum coges? adimam bona. nempe pecus, rem,
Lectos, argentum? tollas licet. & manicis, &
Compedibus sæuo te sub custode tenebo.
Ipse deus, simulatq; volam, me soluet. opinor
Hoc sentit, moriar. mors vltima linea rerum est.
Ex epi. 18 ¶ *Res gerere, & captos ostendere ciuibus hostes,*
Attingit solium Iouis, & cœlestia tentat.
Principibus placuisse viris non vltima laus est.
¶ *Nec cuiuis homini contingit adire Corinthum.*
¶ *Sed tacitus pasci si posset coruus, haberet*
Plus dapis, & rixæ multo minus, inuidiæq;.
¶ *Nec semel irrisus triuijs attollere curat*
Fracto crure planum. licet illi plurima manet
Lacryma, per sanctum iuratus dicat Osirim
Credite, non ludo, crudeles tollite claudum.
Quære peregrinum, vicinia rauca reclamat.
Ex epi. 19 ¶ *Arcanum neq; tu scrutaberis vllius vnquam*
Commissumq; teges, & vino tortus & ira.
Nec tua laudabis studia, aut aliena reprendes.
¶ *Quid de quoq; viro, & cui dicas, sæpe videto:*

Percun

Percunctatorem fugito: nam garrulus idem est:
Nec retinent patulæ commissa fideliter aures:
Et semel emissum volat irreuocabile verbum.
¶ Qualem commendes, etiam atq; etiam aspice, ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem.
Fallimur, & quondam non dignum tradimus: ergo
Quem sua culpa premis, deceptus omitte tueri:
Vt penitus notum, si tentent crimina, serues:
Tuterisq; tuo fidentem præsidio, qui
Dente theonino cum circunroditur: ecquid
Ad te pòst paulò ventura pericula sentis?
Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet:
Et neglecta solent incendia sumere vires.
Dulcis inexpertis cultura potentis amici,
Expertus metuet. tu dum tua nauis in alto est,
Hoc age, ne mutata retrorsum te ferat aura.
Oderunt hilarem tristes, tristemq; iocosi:
Sedatum celeres, agilem, gnauumq; remissi.
¶ Inter cuncta leges, & percunctabere doctos:
Qua ratione queas traducere leniter æuum.
¶ – Quid credis amice precari?
Sit mihi, quod nunc est, etiam minus: vt mihi viuam,
Quod superest æui: siquid superesse volunt Dij.
¶ Sed satis est orare Iouem, qui donat & aufert.
Det vitam, det opes: æquum mi animum ipse parabo.
¶ Non ego ventosæ plebis suffragia venor Ex epi. 10
Impensis cœnarum, & tritæ munere vestis.
¶ Ludus enim genuit trepidum certamen, & iram:
Ira truces inimicitias, & funebre bellum.

EX LIBRO II.

Ex epist. 1 ¶ *Nauem agere ignarus nauis timet: abrotonum ægro*
Non audet, nisi qui didicit, dare. quod medicorum est,
Promittunt medici: tractant fabrilia fabri.
Scribimus indocti, doctiq; poëmata passim.
Hic error tamen, & leuis hæc insania quantas
Virtutes habeat, sic collige.
Ex epist. 2 ¶ *Multa fidem promissa leuant, vbi plenius æquo*
Laudat venales, qui vult extudere merces.
¶ *Scriptorum chorus omnis amat nemus, & fugit vrbem.*

EX IVVENALE

Ex Saty. 1 ¶ *–Probitas laudatur & alget.*
Nil erit vlterius, quod nostris moribus addat
Posteritas: eadem cupient, facientq; minores.
Omne in præcipiti vitium stetit.
¶ *–Tecum prius ergo voluta*
Hæc animæ ante tubas: galeatum sero duelli
Pœnitet.
Ex Saty. 2 ¶ *Vltra Sauromatas fugere hinc libet: & glacialem*
Oceanum, quoties aliquid de moribus audent,
Qui Curios simulant, & Bacchanalia *viuunt.*
¶ *Loripedem rectus derideat, Aethiopem albus.*
Quis tulerit Gracchos *de seditione querentes?*
Quis cœlum terris non misceat, & mare cœlo,
Si fur displiceat Verri, *homicida* Miloni?
¶ *–Dedit hanc contagio labem:*

Et dapit in plures. sicut grex totus in agris
Vnius scabie cadit, & porrigine porci.
¶ Nemo repente fuit turpissimus: accipient te
Paulatim, qui longa domi redimicula sumunt
Frontibus, & toto posuere monilia collo.
¶ Res hodie minor est here quàm fuit: atq; eadem cras Ex Saty. 3
Deteret exiguis aliquid.
¶ Cedamus patria: viuant Arturius istic,
Et Catulus, maneant qui nigrum in candida vertunt
¶ Quantum quisque sua nummorum seruat in arca,
Tantum habet & fidei.
¶ Nil habet infelix paupertas durius, in se,
Quàm quòd ridiculos homines facit.
¶ Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi.
¶ Hic vltra vires habitus nitor, hic aliquid plus,
Quàm satis est: interdum aliena sumitur arca.
Commune id vitium est: hic viuimus ambitiosa
Paupertate omnes.
¶ Ebrius ac petulans, qui nullum forte cecidit,
Dat pœnas: noctem patitur lugentis amicum
Pelidæ cubat in faciem, mox deinde supinus.
Ergo non aliter poterit dormire. quibusdam
Somnum rixa facit.
¶ Nemo malus felix. Ex Saty. 4
¶ —Nihil est quod credere de se
Non possit, cum laudatur dijs æqua potestas.
¶ Credo pudicitiam Saturno rege moratam Ex Saty. 6
In terris: visamq; diu, cum frigida paruas

Præberet ſpelunca domos, ignemq́; laremq́;
Et pecus & dominos communi clauderet vmbra.
¶ *Si verum excutias, facies, non vxor, amatur.*
Tres rugæ ſubeant, & ſe cutis arida laxet:
Fiant obſcuri dentes, oculiq́; minores:
Collige ſarcinulas dicit libertus, & exi:
Iam grauis es nobis.
¶ *Nulláne de tantis gregibus tibi digna videtur?*
Sit formoſa, decens, diues, fœcunda, vetuſtos
Porticibus diſponat auos: intactior omni
Crinibus effuſis bellum dirimente Sabina.
Rara auis in terris, nigroq́; ſimillima cygno.
Quis feret vxorem cui conſtant omnia? malo,
Malo Venuſiam, quàm te Cornelia mater
Gracchorum, ſi cum magnis virtutibus affers
Grande ſupercilium, & numeras in dote triumphos.
¶ *Quæ tanti grauitas? quæ forma? vt ſe tibi ſemper*
Imputet. huius enim rari ſummiq́; voluptas
Nulla boni quoties animo corrupta ſuperbo,
Plus aloës, quàm mellis habet.
¶ *Hoc volo, ſic iubeo: ſit pro ratione voluntas.*
¶ *Nulla ferè cauſa eſt, in qua non fœmina litem*
Mouerit: accuſat Manilia, ſi rea non eſt.
Componunt ipſæ pro ſe, formantq́; libellos.
¶ *Prima peregrinos obſcœna pecunia mores*
Intulit: & turpi fregerunt ſecula luxu
Diuitiæ molles. quid enim Venus ebria curat?
¶ *Nil non permittit mulier ſibi: turpe putat nil,*
Cum virides gemmas collo circundedit, & cum

Auribus

Auribus externis magnos committit elenchos.
Intolerabilius nihil est, quàm fœmina diues.
Nosse volunt omnes, mercedem soluere nemo. Ex Saty. 7
Si fortuna volet, fies de rhetore consul:
So volet hæc eadem, fies de consule rhetor.
Ventidius quid enim? quid Tullius? *an ne aliud, quàm*
Sydus, & occulti miranda potentia fati?
Seruis regna dabunt, captiuis fata triumphos:
Felix ille tamen, coruo quoque rarior albo.
Stemmata quid faciunt? quid prodest Pontice longo Ex Saty. 8
Sanguine censeri? pictos ostendere vultus
Maiorum? & stantes in curribus Aemilianos?
Quis fructus generis, tabula iactare capaci
Fumosos equitum cum dictatore magistros,
Si coram Lepidis *malè viuitur?*
Tota licet veteres exornent vndique ceræ
Atria, nobilitas sola est, atque vnica virtus.
Prima mihi debes animi bona, sanctus haberi,
Iustitiæque tenax, factis dictisque mereris.
—Quis enim generosum dixerit hunc, qui
Indignus genere, & præclaro nomine tantum
Insignis?
Hæc satis ad iuuenem, quem nobis fama superbum
Tradit, & inflatum plenumque Nerone *propinquo.*
—Sed te censeri laude tuorum
Pontice *noluerim, si tu nihil ipse futuræ*
Laudis agas. miserum est aliorum incumbere famæ.
—Ambiguæ siquando citabere testis,
Incertæque rei, Phalaris *licet imperet, vt sis*

Falsus, & admoto dictet periuria tauro.
Summum crede nephas animam præferre pudori:
Et propter vitam viuendi perdere causas.
Expectata diu tandem prouincia, cum te
Rectorem accipiet, pone iræ fræna, modumq;:
Pone & auaritiæ. miserere inopum sociorum.
Ossa vides regum vacuis exusta medullis:
Respice quid moneant leges: quid curia mandet:
Præmia quanta bonos maneant: quàm fulmine iusto,
Et Capito, & Numitor ruerint damnante senatu,
Piratæ Cilicum.
Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto maior qui peccat habetur.
–Breue si quod turpiter audes:
Quædam cum prima resecentur crimina barba.
Maro pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
Aeacidæ similis, Vulcaniaq; arma capessas:
Quàm te Thersitæ similem producat Achilles.
Ex Saty. 9 *Fata regunt homines.*
O Corydon Corydon, secretum diuitis vllum
Esse putas? serui vt taceant, iumenta loquentur.
Viuendum est recte: tum propter plurima, tum his
Præcipue causis, vt linguas mancipiorum
Contemnas. nam lingua mali pars pessima serui.
–Obrepit non intellecta senectus.
Ex Sat. 10 *–Quid tam dextro pede concipis, vt te*
Conatus non pœniteat, votiq; peracti?
–Et torrens dicendi copia multis,
Et sua mortifera est facundia. viribus ille

Confisus

Confisus perijt, admirandisq; lacertis.
Sed plures nimia congesta pecunia cura
Straugulat, & cuncta exuperans patrimonia census.
¶ *Pauca licet portes argenti vascula puri*
Nocte iter ingressus, gladium, contumq; timebis:
Et motæ ad lunam trepidabis arundinis vmbras.
Cantabit vacuus coram latrone viator.
¶ *Prima fere vota, & cunctis notissima templis,*
Diuitiæ crescant, vt opes, vt maxima toto
Nostra sit arca foro.
¶ *Turba tremens sequitur fortunam semper, & odit.*
¶ —*Qui nimios optabat honores,*
Et nimias poscebat opes, numerosa parabat
Excelsæ turris tabulata, vnde altior esset
Casus, & impulsæ præceps immane ruinæ.
Quid Crassos, quid Pompeios euertit? & illum
Ad sua qui domitos deduxit flagra Quirites?
Summus nempe locus nulla non arte petitus,
Magnaq; numinibus vota exaudita malignis.
¶ —*Maior famæ sitis est, quàm*
Virtutis. quis enim virtutem amplectitur ipsam,
Præmia si tollas? patriam tamen obruit olim
Gloria paucorum, & laudis tituliq; cupido.
¶ —*Mors sola fatetur*
Quantula sunt hominum corpuscula.
¶ —*Rara est adeò concordia formæ,*
Atque pudicitiæ.
¶ —*Mulier sæuissima tunc est,*
Cum stimulos odio pudor admouet.

¶ Nil ergo optabunt homines? si consilium vis,
Permittes ipsis expendere numinibus quid
Conueniat nobis, rebusq́; sit vtile nostris.
Nam pro iucundis aptissima quæq; dabunt dij:
Charior est illis homo quàm sibi. nos animorum
Impulsu, & cæca magnaq́; cupidine ducti,
Coniugium petimus, partumq́; vxoris: at illis
Notum, qui pueri, qualisq́; futura sit vxor.
¶ –Semita certe
Tranquillæ per virtutem patet vnica vitæ.

Ex Sat. 11 *¶ Interea gustus elementa per omnia quærunt,*
Nunquam animo pretijs obstantibus: interius si
Attendas, magis illa iuuant, quæ pluris emuntur.
¶ –Buccæ
Noscenda est mensura tuæ: spectandaq́; rebus
In summis minimisq́;, etiam cum piscis emetur.
¶ Non præmaturi cineres, nec funus acerbum
Luxuriæ: sed morte magis metuenda senectus.
¶ –Ingratos ante omnia pone sodales.
¶ –Voluptates commendat rarior vsus.

Ex Sat. 12 *¶ Non propter vitam faciunt patrimonia quidam*
Sed cæci vitio propter patrimonia viuunt.

Ex Sat. 13 *¶ Exemplo quodcunq; malo committitur, ipsi*
Displicet autori: prima est hæc vltio, quòd se
Iudice nemo nocens absoluitur: improba quamuis
Gratia fallacis prætoris vicerit vrnam.
¶ Ponamus nimios gemitus: flagrantior æquo
Non debet dolor esse viri, nec vulnere maior.
¶ Rari quippe boni: numero vix sunt totidem, quot
Thebarum

Thebarum portæ, vel diuitis ostia Nili.
¶ Improbitas illo fuit admirabilis æuo:
Credebant hoc grande nefas, & morte piandum.
Si iuuenis vetulo non assurrexerat, & si
Barbato cuicunq; puer: licet ipse videret
Plura domi farra, & maiores glandis aceruos:
Tam venerabile erat præcedere quattuor annis,
Primaq; par adeò sacræ lanugo senectæ.
Quandoquidem accepto claudenda est ianua damno.
¶ Gallinæ filius albæ.
¶ —Minuti
Semper & infirmi est animi, exiguiq; voluptas
Vltio.
¶ Pœna autem vehemens, ac multo sæuior illis
Quas & Cæditius grauis inuenit & Radamanthus,
Nocte dieq; suum gestare in pectore testem.
¶ Nam scelus intra se tacitum qui cogitat vllum,
Facti crimen habet.
¶ Mobilis & varia est ferme natura malorum.
¶ —Velocius & citius nos **Ex Sat. 14**
Corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis
Cum subeant animos autoribus.
¶ —Dociles imitandis
Turpibus, ac prauis omnes sumus.
¶ Vnde tibi frontem libertatemq; parentis,
Cum facias peiora senex?
¶ Sponte tamen iuuenes imitantur cætera: solam
Inuiti quoq; auaritiam exercere iubentur.
Fallit enim vitium specie virtutis & vmbra,

Cum triste est habitu, vultuq́;, & veste seuerum:
Nec dubiè tanquam frugi laudatur auarus,
Tanquam partus homo, & rerum tutela suarum.
¶ *Interea pleno cum turget sacculus ore,*
Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit:
Et minus hanc optat, qui non habet. ergo paratur
Altera villa tibi, cum rus non sufficit vnum:
Et proferre libet fines: maiorq́; videtur,
Et melior vicina seges: mercaris & hanc, &
Arbusta, & densá montem qui canet oliua.
¶ —*Nec plura venena*
Miscuit: aut ferro grassatur sæpius vllum
Humanæ mentis vitium, quàm sæua cupido
Indomiti census.
¶ *Viuite contenti casulis, & collibus istis,*
O' pueri, Marsus dicebat, & Hernicus olim,
Vestinusq́; senex, panem quæramus aratro,
Qui satis est mensis.
¶ —*Lucri bonus est odor ex re*
Qualibet.
¶ *Vnde habeas quærit nemo: sed oportet habere.*
¶ —*Misera est magni custodia census.*
¶ *Nullum numen abest si sit prudentia.*
¶ —*Nunqum aliud natura, aliud sapientia dicit.*
Ex *Sat.* 15 ¶ —*Sæuis inter se conuenit vrsis:*
Ast homini ferrum letale incude nefanda
Produxisse parum est.

EX PERSII SATYRIS.

Quis expediuit psittaco suum χαῖρε?
Picasq; docuit nostra verba conari?
Magister artis, ingeniq; largitor
Venter, negatas artifex sequi voces.

¶ Vsque adeó ne Ex Saty. 1
Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter?
At pulchrum est digito monstrari, & dicier, Hic est.
¶ –Rides ait, & nimis vncis
Naribus indulges.
¶ –Hæc Rara auis est.
¶ –Neq; enim mihi cornea fibra est.
¶ Auriculas asini quis non habet?

¶ Dicite pontifices in templo quid facit aurum? Ex Saty. 2
Nempe hoc quod Veneri donatæ à virgine puppæ.
Quin damus id superis, de magna quod dare lance
Non possit magni Messalæ lippa propago?
Compositum ius, fasq; animi, sanctosq; recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto?
Hæc cedo, vt admoueam templis, & farre litabo.

¶ –Rure paterno Ex Saty. 3
Est tibi far modicum, purum & sine labe salinum.
Quid metuas? cultrixq; foci secura patella:
Hoc satis.
¶ –Ego te intus & intus & incute noui.
¶ –Venienti occurrite morbo.

¶ Vt nemo in sese tentat descendere, nemo: Ex Saty. 4

Sed præcedenti spectatur mantica tergo.
¶ *Respue quod non es: tollat sua munera cerdo:*
Tecum habita: & noris quàm sit tibi curta supellex.
Ex Saty. 5 ¶ *Mille hominum species, & rerum discolor vsus:*
Velle suum cuiq; est, nec voto viuitur vno.
¶ *Viue memor leti, fugit hora.*

EX LVCANI
LIBRIS.

¶ *Nulla fides regni socijs, omnisq; potestas*
Impatiens consortis erit: nec gentibus vllis
Credite: nec longe fatorum exempla petantur.
¶ *–Stimulos dedit æmula virtus.*
¶ *Nec quenquam iam ferre potest, Cæsar'ue priorem,*
Pompeius'ue parem.
¶ *–Fœcunda virorum*
Paupertas fugitur.
Ex lib. 2. ¶ *Tolle moras: semper nocuit differre paratis.*
¶ *–Sit cæca futuri*
Mens hominum fati: liceat sperare timenti.
¶ *–Hi mores, hæc duri immota Catonis*
Secta fuit, seruare modum, finemq; tenere,
Naturamq; sequi, patriæq; impendere vitam:
Nec sibi, sed toti genitum se credere mundo.
Ex lib. 3. ¶ *Vsque adeo solus ferrum, mortemq; timere*
Auri nescit amor: pereunt discrimine nullo
Amissæ leges.
¶ *–Seruat multos fortuna nocentes.*

Et tantum miseris irasci numina possunt.
¶ *Creuit in aduersis virtus.*
¶ —*O prodiga rerum* Ex lib.4
Luxuries, nunquam paruo contenta paratu:
Et quæsitorum terra, pelagoq; ciborum
Ambitiosa fames, & lautæ gloria mensæ,
Discite quàm paruo liceat producere vitam:
Et quantum natura petat: non erigit ægros
Nobilis ignoto diffusus consule Bacchus:
Non auro, myrrhaq; bibunt: sed gurgite puro
Vita redit: satis est populis fluuiusq;, Ceresq;.
¶ —*Variam semper dant otia mentem.*
¶ —*Fortissimus ille est,* Ex lib.7
Qui promptus metuēda pati; si comminus instent,
Et differre potest.
¶ —*Capit omnia tellus.*
¶ *Ardua quippe fides robustos exigit annos.* Ex lib.8
¶ —*Mors vltima pœna est,*
Non metuenda viris.
¶ —*Exeat aula,*
Qui vult esse pius: virtus & summa potestas
Non coëunt: semper metuet, quem sæua pudebunt.
¶ *Aduersis non deesse decet, sed læta secutos*
Nulla fides vnquam miseros elegit amicos.
¶ —*Gaudet patientia duris.* Ex lib.9
Iuppiter est quodcunq; vides, quocunq; moueris.
¶ *Nulla fides pietasq; viris, qui castra sequuntur.*
Venalesq; manus: ibi fas, vbi maxima merces.

EX TRAGOEDIIS SENECAE.

EX HERCVLE FVRENTE, TRAGOEDIA PRIMA.

Ex 1.actu. ⸿Nouit paucos
Secura quies: qui velocis
Nemores æui, tempora nunquam
Reditura tenent. dum fata sinunt,
Viuite læti: properat cursu
Vita citato, volucriq; die
Rota præcipiti vertitur anni:
Dure peragunt pensa sorores,
Nec sua retro fila reuoluunt.
At gens hominum fertur rapidis
Obuia fatis, incerta sui.
Stygias vltro quærimus vndas.
⸿*Certo veniunt ordine Parcæ:*
Nulli iusso cessari licet:
Nulli scriptum proferre diem:
Recipit populos vrna citatos.
⸿*Venit ad pigros cana senectus:*
Humiliq; loco, sed certa sedet
Sordida paruæ fortuna domus:
Alte virtus animosa cadit.

Ex 2.actu. ⸿*Finis alterius mali*
Gradus est futuri.
⸿*Prosperum ac felix scelus,*
Virtus vocatur. Sontibus parent boni.

Ius

Ius est in armis, opprimit leges timor.
¶ Quod nimis miseri volunt,
Hoc facile credunt. A M. *Imo quod metuūt nimis*
Nunquam admoueri posse, nec tolli putant.
M E. *Prona est timori semper in peius fides.*
¶ Iniqua raro maximis virtutibus
Fortuna parcit: nemo se tuto diu
Periculis offerre tam crebris potest.
Quem sæpe transit casus, aliquando inuenit.
¶ – Qui genus iactat suum,
Aliena laudat. Rapta, *sed trepida manu,*
Sceptra obtinentur: omnis in ferro est salus.
Quod ciuibus tenetur inuitis, scias
Strictus tuetur ensis. alieno in loco
Haud stabile regnum est.
¶ Inuidia fastum ac sermo popularis premet.
Ars prima regni est, posse inuidiam pati.
¶ Sequitur superbos victor à tergo deus.
¶ Cum victor arma posuit, & victum decet
Deponere odia.
¶ Cogi qui potest, nescit mori.
¶ Virtus est domare quæ cuncti pauent.
¶ Non est ad astra mollis è terris via.
¶ Quemcunq; miserum videris hominem scias.
A M. *Quemcunq; fortem videris, miserum neges.*
¶ Post multa virtus opera laxari solet.
¶ Immites potuit flectere cantibus Ex Choro
Vmbrarum dominos, & prece supplici
Orpheus Eurydicen dum recipit suam:

Quæ syluas, & aues, saxaq; traxerat
Ars, quæ præbuerat fluminibus moras:
Ad cuius sonitum constiterant feræ,
Mulcet non solitis vocibus inferos:
Et surdis resonat clarius in locis.
Odit verus amor, nec patitur moras.

Ex 3. actu. *Votum secundet qui potest nostrum deus,*
Rebusq; lassis adsit.
Quod fuit durum pati,
Meminisse dulce est.
Ipsaq; morte, peior est mortis locus.
–Quisquis est placide potens,
Dominusq; vitæ: seruat innocuas manus,
Et incruentum mitis imperium regit,
Animoq; parcit: longa permensus diu
Felicis æui spatia, vel cœlum petit,
Vel læta felix nemoris Elysii loca
Iudex futurus.

Ex Choro *Nemo ad id serò venit, vnde nunquam,*
Cum semel venit, potuit reuerti.
Tuq; ô domitor
Somne malorum, requies animi,
Pars humanæ melior vitæ.
Pectora tantis obsessa malis,
Non sunt ictu ferienda leui.

Ex 5. actu. *Sæpe vindicta obfuit.*

EX THYESTE, TRAGOED. II.

Quos cogit metus

Laudare, eosdem reddit inimicos metus.
At qui fauoris gloriam veri petit,
Animo laudari magis, quàm voce valet.
Laus vera humili sæpe contingit viro.
Rex velit honesta: nemo non eadem velit.
—Vbi non est pudor,
Nec cura iuris, sanctitas, pietas, fides,
Instabile regnum est.
Iam tempus illi fecit ærumnas leues.
AT. Malorum sensus accrescit die.
Leue est miserias ferre: perferre est graue.
Sæpe in magistrum scelera redierunt sua.
AT. Vt nemo doceat fraudis, & sceleris viam:
Regnum docebit.
Tacita iam rudibus fides
Non est in annis: detegent forsan dolos.
—Multe, sed trepidus, solet
Detegere vultus: magna nolentem quoque
Consilia produnt.
Rex est qui posuit metus, Ex Choro
Et diri mala pectoris:
Quem non ambitio impotens,
Et nunquam stabilis fauor
Vulgi præcipitis mouet.
Mens regum bona possidet.
Non capit regnum duos. Ex 3.actu.
Mihi crede falsis magna nominibus placent,
Dum excelsus steti,
Nunquam pauere destiti: atque ipsum mei

Ferrum timere lateris. O quantum bonum est
Obstare nulli carpere securas dapes.
Humi iacentem scelera non intrant casam:
Tutusq; mensa capitur angusta cibus.
¶ Venenum in auro bibitur: expertus loquor.
¶ Nec abneundum, si dat impertum deus;
Nec appetendum.
¶ Serum est cauendi tempus in medijs malis.
Ex Choro *¶ Nulla vis maior pietate vera est.*
¶ Nulla sors longa est: dolor, ac voluptas
Inuicem cedunt: breuior voluptas.
Ima permutat breuis hora summis.
¶ Omne sub regno grauiore regnum est.
Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens iacentem.
Nemo confidat nimium secundis:
Nemo desperet meliora lapsis.
Miscet hæc illis: prohibetq; Clotho
Stare fortunam: rotat omne fatum.
¶ Nemo tam diuos habuit fauentes,
Crastinum vt posset sibi polliceri.
Res deus nostras celeri citatas
Turbine versat.
¶ Tristis egestas, rebusq; grauis
Pudor afflictis. magis vnde cadas
Quàm quò, refert.
¶ Proprium hoc miseros sequitur vitium,
Nunquam rebus credere lætis:
Redeat felix fortuna licet,

Tamen afflictos gaudere piget.
¶ Mittit luctus signa futuri,
Mens ante sui præsaga mali.

EX THEBAIDE, TRAGOED. III.

¶ Nec est vt putas virtus pater
Timere vitam:sed malis ingentibus
Obstare,nec se vertere,ac retro dare.
¶ -Vitam contempsit,mori
Qui non concupiscit.
¶ Quoties necesse est fallere,aut falli à suis: Ex 4.actu.
Satiare potius ipse,quàm facias scelus.
¶ In seruitutem cadere de regno,graue est,
¶ Regna cum scelere,omnibus
Sunt exilijs grauiora.
¶ Fortuna belli semper ancipiti in loco est.
¶ Iniqua nunquam imperia retinentur diu.

EX HIPPOLYTO,TRAGOED. IIII.

¶ Quisquis in primo obstitit. Ex 1.actu.
Pepulitq́; amorem,tutus ac victor fuit.
Qui blandiendo dulce nutriuit malum:
Sero recusat ferre,quod subijt iugum.
¶ Dum quis secundis rebus exultat nimis,
Fluitq́; luxu semper insolita appetens:
Tunc illum magnæ dira fortunæ comes
Subit libido:non placent suetæ dapes,
Non tecta sani moris,aut vilis cibus.
¶ Pars sanitatis velle sanari.

Ex Choro ⸿ *Vincit sæuas cura nouercas.*
⸿ *Non leuat miseros dolor.*
Ex 2.actu. ⸿ –*Verum iusta, qui reges timet,*
Deponat: omne pellat ex animo decus.
Malus est minister regij imperij pudor.
⸿ *Quem fata cogunt, hic quidem viuat miser.*
At siquis vltro se malis offert volens,
Seq; ipse torquet: perdere est dignus bona,
Qui nescit vti.
⸿ *Aetate fruere: mobili cursu fugit.*
⸿ –*Propria describit deus*
Officia: & æuum per suos ducit gradus.
Lætitia iuuenem, frons decet tristis senem.
⸿ *Sæpe obstinatis induit frænos amor,*
Et odia mutat.
⸿ –*Qui timide rogat,*
Docet negare.
Ex Choro ⸿ *Anceps forma bonum mortalibus,*
Exigui donum breue temporis,
Vt velox celeri pede laberis.
⸿ *Res & forma fugax. quis sapiens bono*
Confidat fragili: dum licet vtere:
Tempus sed tacitum subruet: horaq;
Semper præterita deterior subit.
⸿ *Raris forma viris (secula prospice)*
Impunita fuit.
Ex 3.actu. ⸿ *Alium silere quod voles, primus sile.*
Ex Choro ⸿ *Minus in paruis fortuna furit.*
Ex 4.actu. ⸿ –*Humida vallis*

Raros patitur fulminis ictus.
Tremuit telo Iouis altisoni,
Caucasus ingens, Phrygiumq; nemus,
Matris Cybeles metuens, cœlo
Iuppiter alto vicina petit.
Non capit vnquam magnos motus
Humilis tecti plebeia domus.
Circa regna tonat.
Volat ambiguis mobilis alis
Hora neculli præstat velox
Fortuna fidem.

EX OEDIPO, TRAGOED. V.

—Nullus est miseris pudor. Ex 1. actu
Haud est virile terga fortunæ dare.
Labimur sæuo rapiente fato: Ex Choro
Ducitur semper noua pompa morti.
Dubiâ salutem, qui dat, afflictis negat. Ex 2. actu.
Facere solent extrema securos mala.
—Iners malorum remedium, ignorantia est. Ex 3. actu.
Vbi turpis est medicina, sanari piget.
Certissima est regnare cupienti via,
Laudare modica.
Ab inquieto sæpe simulatur quies.
Aditum nocendi perfido præstat dies.
Res secundæ non habent vnquam modum.
—Dubia pro certis solent
Timere reges.
—Qui pauit vanos metus,

Veros fatetur.
¶ Quisquis in culpa fuit
Dimissus, omne odit quod dubium putat.
Sic odia fiunt.
¶ Odia qui nimium timet,
Regnare nescit. regna custodit metus.
Qui sceptra duro sæuus imperio regit,
Timet timentes: metus in autorem redit.
¶ Prima languescit senum
Momoria: longo lassa sublabens situ.
¶ Quid verba quæris? veritas odit moras.
Fatere: ne te cogat ad verum dolor,
Probibet fides.
¶ Quicquid excessit modum,
Pendet instabili loco.
Ex Choro *¶ Quicquid facimus, venit ex alto.*

EX TROADE, TRAGOED. VI.

Ex Choro mulierum. *¶ Nulla dies*
Nœrore caret: sed noua fletus
Causa ministrat.
Ex 2. actu. *¶ Iuuenile vitium est, regere non posse impetū.*
¶ Violenta nemo imperia continuit diu:
Moderata durant. quoq; fortuna altius
Euexit, ac leuauit humanas opes:
Hoc se magis supprimere felicem decet:
Variosq; casus tremere, metuentem deos
Nimium fauentes.
¶ Qui non vetat peccare, cum possit, iubet.

¶ Est regis alti spiritum regi dare.
¶ Præferre patriam liberis regem decet.
¶ Quodcunque libuit facere, victori licet.
¶ Minimum decet libere, cui multum licet,
¶ Miserrimum est timere, cum speres nihil. Ex 3. actu.
¶ Victor feroces impetus primos habet.
¶ Leuius solet timere qui propius timet.
¶ Simulata remoue verba: non facile est tibi
Decipere Vlyssem.
¶ Magnifica verba mox propè admota excutit.
¶ Verberibus, igne, morte, cruciatu eloqui
Quodcunque celas, adiget inuitam dolor.
E pectore imo condita arcana eruet:
Necessitas plus posse, quàm pietas solet.
¶ Veritas nunquam latet.
¶ Dedidicit animus sero, quod didicit diu.
¶ –Fletus ærumnas leuat. Ex 4. actu.
¶ –Ad autores redit
Sceleris coacti culpa.
¶ –Durum & inuisum & graue est,
Seruitia ferre.
¶ Dulce mœrenti est populo dolentum Ex Choro
Dulce lamentis resonare gentes.
¶ Ferre quam sortem patiuntur omnes,
Nemo recusat.
¶ Nemo se credit miserum, licet sit.
Tolle felices: remoueto multo
Diuites auro: remoueto centum
Rura qui scindat opulenta bobus:

Pauperi surgent animi iacentes.
Est miser nemo, nisi comparatus.
Aequior casum tulit & procellas
Mille qui ponto pariter carinas
Obrui videt.

EX MEDEA, TRAGOED. VII.

Ex 1. actu. *Ira quæ tegitur, nocet.*
Professa perdunt odia vindictæ locum.
ME. *Leuis est dolor, qui capere consilium potest,*
Et clepere sese. magna non latitant mala.
Ex 2. actu. *Fortuna fortes metuit, ignauos premit.*
Nunquam potest non esse virtuti locus.
Spes nulla rebus monstrat afflictis viam.
ME. *Qui nihil potest sperare, desperat nihil.*
Compesce verba, parce iam demens minis,
Animosq; minue: tempori aptari decet.
Fortuna opes auferre, non animum, potest.
Aequum atq; iniquum regis imperium feras.
ME. *Iniqua nunquam regna perpetuò manent.*
Qui statuit aliquid parte inaudita altera,
Aequum licet statuerit, haud æquus est.
Difficile quàm sit animum ab ira flectere
Iam concitatum, quàmq; regale hoc putet,
Sceptris superbas quisquis admouit manus,
Quà cœpit ire, regia didici mea.
—Rapida Fortuna, ac leuis,
Præcepsq; regno eripuit, & exilio dedit.
Confide regnis: cum leuis magnas opes

Huc

Huc ferat, & illuc casus, hoc reges habent
Magnificum, & ingens: nulla quod rapiet dies,
Prodesse miseris, supplices fido lare
Protegere.
Nullum ad nocendum tempus angustum est malis.
Amor timere neminem verus potest. **Ex 3. actu.**
Nemo potentes aggredi tutus potest.
Grauis ira regum est semper.
Suspecta ne sint, longa colloquia amputa.
Nulla vis flammæ, tumidiq; venti **Ex Choro**
Tanta, nec teli metuenda torti:
Quanta cum coniunx viduata tedis
Ardet & odit.
Cæcus est ignis stimulatus ira,
Nec tegi curat, patiturue frænos:
Haud timet mortem, cupit ire in ipsos
Obuius enses.

EX AGAMEMN. TRAGOED. VIII.

Regnorum magnis fallax **Ex Choro**
Fortuna bonis, in precipiti
Dubioq; nimis excelsa loco,
Nunquam placidam sceptra quietem,
Certumue sui tenuere diem:
Alia ex alijs cura fatigat:
Vexatq; animos noua tempestas.
Vt præcipites regum casus
Fortuna rotat: metui cupiunt,
Metuiq; timent: non nox illis

Alma recessus præbet tutos:
Non curarum summus domitor
Pectora soluit.
Feriunt celsos fulmina colles:
Corpora morbis maiora patent.
–Quicquid in altum
Fortuna tulit, ruitura leuat.
Modicis rebus longius æuum est.

Ex 2. actu. *Periere mores, ius, decus, pietas, fides:*
Et qui redire cum perit, nescit pudor.
Quid tacita versas?
Licet ipsa sileas, totus in vultu est dolor.
Quod ratio nequit, sæpe sanauit mora.
Quod metuit auget, qui scelere scelus obruit.
Capienda rebus in malis præceps via est.
Nam sera nunquam est ad bonos mores via.
Quem pœnitet peccasse, penè est innocens.
Prospera animos efferunt.
Nec regna socium ferre, nec tedæ sciunt.
Det ille veniam facile, cui venia est opus.
Quid honesta prodest vita flagitio carens,
Vbi dominus odit? fit nocens, non quæritur.

Ex 3. actu. *–Clades scire qui refugit suas,*
Grauat timorem. dubia plus torquent mala.
Omnisq; nimium longa properanti mora est.

Ex Choro *O quàm miserum est nescire mori.*
Magis exurunt, quos secretæ
Lacerant curæ.

Ex 5. actu. *Fidem secunda poscunt, aduersa exigunt.*

Ex octa

EX OCTAVIA, TRAGOED. IX.

¶ Iuuenilis ardor impetus primo furit: Ex 1. actu.
Languescit idem facile: nec durat diu
In Venere turpi, ceu leuis flammæ vapor.
Amor perennis coniugis castæ manet.
¶ Iustum esse facile est, cui vacat pectus metu. Ex 2. actu.
SE. *Magnum timoris remedium clementia est.*
NE. *Extinguere hostem, maxima est virtus ducis.*
SE. *Seruare ciues, maior est patriæ patri.*
NE. *Præcipere mitem conuenit pueris senem.*
SE. *Regenda magis est feruida adolescentia.*
¶ NE. *Fortuna nostra cuncta permittit mihi.*
SE. *Crede obsequenti parcius: leuis est dea.*
NE. *Inertis est nescire quid liceat sibi.*
SE. *Id facere laus est quod decet, non quod licet.*
NE. *Calcat iacentem vulgus.* SE. *Inuisum opprimit.*
NE. *Ferrum tuetur principem.* SE. *Melius fides.*
NE. *Decet timeri Cæsarem.* SE. *At plus diligi.*
NE. *Metuant necesse est.* SE. *Quicquid exprimitur, graue est.*
NE. *Iussisq; nostris pareant.* SE. *Iusta impera.*
¶ NE. *Quicquid excelsum est, cadat.*
SE. *Pulchrum eminere est inter illustres viros,*
Consulere patriæ, parcere afflictis, fera
Cæde abstinere, tempus atq; iræ dare:
Orbi quietem, seculo pacem suo.
Hæc summa virtus, petitur hac cœlum via.
¶ Probitas, fidesq; coniugis, mores, pudor,

Placeant

Placeant marito. sola perpetuo manent
Subiecta nulli, mentis atque animi bona.
Florem decoris singuli carpunt dies.
Vis magna mentis, blandus atque animi calor
Amor est.

Ex 4. *actu.* *Quæcunque mentis agitat infestus vigor,*
Ea per quietem sacer, & arcanus refert
Veloxque sensus.

Ex Choro *—Bene paupertas*
Humili tecto contecta latet.
Quatiunt altas sæpe procellæ,
Aut euertit fortuna domos.

EX HERCVLE OETHEO, TRAGOEDIA X.

Ex 1. *actu.* *Nunquam est ille miser, cui facile est mori.*

Ex 2. *actu.* *Illicita amatur: excidit quicquid licet.*
—Licet ipsa neges,
Vultus loquitur quodcunque negas.
Haud est nocens, quicunque non sponte est nocens.

Ex 5. *actu.* *Virtus in astra tendit, in mortem timor.*
Misera mens est incredula.

Ex Choro *Nunquam stygias fertur ad vmbras*
Inclyta virtus: viuite fortes:
Nec letheos sæua per amnes
Vos fata trahent: sed cum summas
Exiget auras consumpta dies,
Iter ad superos gloria pandet.

EX LIBRIS BOETII DE CONSOLATIONE.

EX PRIMO LIB.

¶Venit enim properata malis inopia senectus: **Ex 1.met.**
Et dolor ætatem iussit inesse suam.
Intempestiui funduntur vertice cani:
Et tremit effœto corpore laxa cutis.
Mors hominum felix, quæ se nec dulcibus annis
Inserit: & mœstis sæpe vocata venit.
Heu heu, quàm surda miseros auertitur aure:
Et flentes oculos claudere sæua negat.
Dum leuibus male fida bonis fortuna faueret:
Pene caput tristis merserat ora meum.
Nunc quia fallacem mutauit nubila vultum:
Protrahit ingratas impia vita moras.
Quid me felicem toties iactastis amici?
Qui cecidit, stabili non erat ille gradu.
¶Heu quàm præcipiti mersa profundo **Ex 2.met.**
Mens hebet, & propria luce relicta
Tendit in externas ire tenebras,
Terrenis quoties flatibus acta
Crescit in immensum noxia cura.
¶Sic quod præcipiti via **Ex 6.met.**
Certum deserit ordinem,
Lætos non habet exitus.

EX LIBRO II.

¶Nunquam diues agit, qui trepidus, gemens **Ex 2.met.**

Sese credit egentem.

Ex 5.met. *Felix nimium prior ætas*
Contenta fidelibus aruis:
Nec inerti perdita luxu,
Facili quæ sera solebat
Ieiunia soluere glande.
Sed sæuior ignibus Aetnæ
Feruens amor ardet habendi.

Ex 7.met. *Mors spernit altam gloriam,*
Inuoluit humile pariter & celsum caput,
Aequatq; summis infima.

EX LIB. III.

Ex 5.met. *Qui se volet esse potentem,*
Animos domet ille feroces.
Quid genus & proauos strepitis?
Si primordia vestra
Autoremq; deum spectes,
Nullus degener extat,
Ni vitijs peiora fouens
Proprium deserat ortum.

EX LVCRETIO.

Ex lib.1 *Semper in assiduo motu res quæque geruntur.*
Ex lib.2 *Sed neq; tam facilis res vlla est, quin ea primum*
Difficilis magis ad credendum constet: itemq;
Nil adeò magnum, neq; tam mirabile quicquam,
Quod non paulatim minuant mirarier omnes.

Multo

¶ —Multoq; in rebus acerbis Ex lib. 3
Acrius auertunt animos ad religionem,
Quo magis in dubijs homines spectare periclis
Conuenit, aduersisq; in rebus noscere qui sint.
¶ Macerat inuidia ante oculos illum esse potentem
Illum aspectari claro qui incedit honore:
Ipsi se in tenebris volui, cœnoq; queruntur.
¶ Prætereagigni pariter cum corpore, & vnà
Crescere sentimus, pariterq; senescere mentem.
Nam velut infirmo pueri teneroq; vagantur
Corpore. sic animi sequitur sententia tempus.
Inde vbi robustis adoleuit viribus ætas,
Consilium quoq; maius, & auctior est animi vis.
Pòst vbi iam validis quassatum est viribus æui
Corpus, & obtusis ceciderunt viribus artus,
Claudicat ingenium, delirat linguaq; mensq;
Omnia deficiunt, atq; vno tempore desunt.
¶ Certa quidem finis vitæ mortalibus adstat
Nec deuitari letum pote quin obeamus.
¶ Quòd siquis vera vitam ratione gubernat Ex lib. 5
Diuitiæ grandes homini sunt, viuere parce,
Aequo animo: neq; enim est vsquam penuria parui.
¶ —Nunc aurum, & purpura curis
Exercent hominum vitam, belloq; fatigant.

EX MARTIALE.

De sue prægnante.

O quantum est subitis casibus ingenium.

Daciani dogma laudat.

Ex lib. I ¶ *Nolo virum facili redimit qui sanguine famam*
Hunc volo, laudari qui sine morte potest.

Ad Iulium.

Non bene distuleris videas quod posse negari.
Et solum hoc ducas, quod fuit, esse tuum.
Expectant curæq; catenatiq; labores:
Gaudia non remeant, sed fugitiua volant.
Hæc vtraque manu, complexuq; assere toto:
Sæpe fluunt imo sic quoq; lapsa sinu.
Non est, crede mihi, sapientis dicere viuam.
Sera nimis vita est crastina: viue hodie.

De Gellia.

Ille dolet verè, qui sine teste dolet.
¶ *Qui ducis vultus, & non legis ista libenter:*
Omnibus inuideas, liuide, nemo tibi.

Ad Lucium Iulium.

Pingue solum lassat, sed iuuat ipse labor.

In Sextum.

Ex lib. 2 ¶ *Durum est Sexte negare, cum rogeris:*
Quanto durius antequam rogeris?
¶ *Ipse iubet mortis te meminisse deus.*

In Cosconium.

Non sunt longa quibus nihil est quod demere possis.

Ad Colinum.

Ex lib. 4 ¶ *Si sapis, vtaris totis Coline diebus:*
Extremumq; tibi semper adesse putes.

De Curitio.

Nullo fata loco possis excludere: cum mors

Venerit,

Venerit, in medio Tybure Sardinia est.

Ad Regulum.

Hi sunt inuidiæ mmirum Regule mores, Ex lib. 5
Præferat antiquos semper vt illa noui.

Amicis esse donandum.

Extra fortunam est quicquid donatur amicis.
Quas dederis, solas semper habebis opes.

De Encolpo.

Quid non cogit amor?

Ad posthumum.

Cras te victurum, cras dicis Posthume semper:
Dic mihi cras istud Posthume quando venit?
Quàm longe cras istud vbi est? aut vnde petendum?
Nunquid apud Parthos Armeniosq; latet?
Iam cras istud habet Priami, vel Nestoris annos:
Cras istud quanti, dic mihi, posset emi.
Cras viues: hodie iam viuere Posthume serum est:
Ille sapit quisquis Posthume vixit heri.

In Pollam.

Quod tegitur, maius creditur esse malum.

Ad Aemilianum.

Semper eris pauper, si pauper es Aemiliane:
Dantur opes nullis nunc, nisi diuitibus.

De fama reditus Domitiani.

Certus abest autor: sed vox hoc nuntiat omnis. Ex lib. 7
Credo tibi: verum dicere fama soles.

Ad Licinium.

Viue velut rapto fugitiuoq; gaudia carpe.
Perdiderit nullum vita reuersa diem.

Ad Priscum.

Ex lib.8 *Uxorem quare locupletem ducere nolim,*
Quæritis: uxori nubere nolo meæ.
Inferior matrona suo sit Prisce marito:
Non aliter fiunt fœmina, virq; pares.

Ad domitianum.

Principis est virtus maxima, nosse suos.

De columba Aretullæ.

Et dominum mundi flectere vota valent.

Ad Titullum.

Rape, congere, aufer, posside: relinquendum est.

De Partheniana toga.

Ex lib.9 *Quid non longa dies, quid non consumitis anni?*

In Magistrum ludi.

Nam vigilare leue est, peruigilare graue.

De M. Antonio.

Ex lib.10 *Ampliat ætatis spatium sibi vir bonus: hoc est*
Viuere bis, vita posse priore frui.

Ad Q. Ouidium.

Gaudia tu differs, at non & stamina differt
Atropos, atq; omnis scribitur hora tibi.

In laudem Neruæ Traiani.

Ex lib.11 *Ardua res hæc est, opibus non tradere mores:*
Et cum tot Crœsos viceris, esse Numam.

De Caio Proculo.

–Minus gaudent, qui timuere nihil.

In Zoilum.

Non eadem digitis pondera conueniunt.

In Cheremontem.

Rebus in angustis facile est contemnere vitam:
Fortiter ille facit, qui miser esse potest.
Quid si me tonsor, cum stricta nouacula suprà est,
Tunc libertatem, diuitiasq; roget?
Promittam: nec enim rogat illo tempore tonsor:
Latro rogat: res est imperiosa timor.

Ad Caridemum.

-O quantum cogit egestas.

De Africano.

¶*Habet Africanus millies: & tamen captat.* Ex lib. 12
Fortuna multis nimis dat, satis nulli.

Ad Iulium.

Si vitare velis acerba quædam,
Et tristes animi cauere morsus,
Nulli te facias nimis sodalem:
Gaudebis minus, & minus dolebis.

In Zoilum.

Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine læsus:
Rem magnam præstas Zoile, si bonus es.

Ad Sparsum.

Numerare pigri damna quis non potest somni?

EX SILLIO

ITALICO.

¶*Tum pudor accendit mentem: nec conscia fallit* Ex lib. 1
Virtus pressa loco.
¶*Nemo insons: pacem seruant commercia culpæ.* Ex lib. 2

Ardua virtutem profert via.

Ex lib. 3 *Et pace, & bello cunctis stat terminus æui.*

—Ire per ora
Nomen in æternum paucis mens ignea donat.

Quantum etenim distant à morte silentia vitæ!

Gens ferri patiens, ac læta domare labores,
Paulatim antiquo patrum desuescit honori.

—Blandoq; veneno
Desidiæ, virtus paulatim euicta senescit.

Ex lib. 4 *Explorant aduersa viros: perq; aspera duro*
Nititur ad laudem virtus interrita cliuo.

Pelle moras, breuis est magni fortuna fauoris.

Heu primæ scelerum causæ, mortalibus ægris
Naturam nescire deum. iusta ite precati
Thure pio, cœlumq; feros auertite ritus.

Ex lib. 6 *—Et incerti fallax fiducia Martis.*

Vera, ac ficta simul spargebat fama per vrbem.

Ex lib. 9 *—Virtus futile nomen,*
Ni decoris adsint patiendo tempora leti.

Ex lib. 11 *—Stat aulla diu mortalibus vsquam*
Fortuna titubante fides.

—Læta fouere
Haud quisquam magni est animi decus.

—Pax optima rerum
Quas homini nouisse datum est: pax vna triumphis
Innumeris potior: pax custodire salutem,
Et ciues æquare potens.

Ex lib. 13 *Ipsa quidem virtus sibimet pulcherrima merces.*

Ex lib. 15 *Magnanima inuidia virtus caret.*

O' di

O dirum exitium mortalibus, ò nihil vnquam Ex lib. 16
Crescere, nec magnas patiens exurgere laudes
Inuidia.

EX THEBAIDE.

–Quid crastina volueret ætas, Ex lib. 3
Scire nefas homini.
–Deus ecce furentibus obstat.
–Pulchrum est vitam donare minori. Ex lib. 6
–Si decidit hostis, Ex lib. 8
Ire super satis est, vitamq; relinquere victo.
Omne homini natale solum.
Mille modis leti miseros mors vna fatigat. Ex lib. 9
Nulla autem effigies, nulli commissa metallo Ex lib. 12
Forma dei: mentes habitare & pectora gaudet.

EX SYLVIS STATII.

Quicquid habet ortus finem, timet: ibimus omnes,
Ibimus: immensis vrnam quatit Aeacus vmbris.

EX VALERIO FLACCO.

Ite viri mecum, dubijsq; euincite rebus. Ex lib. 1
–Stabilem quando optima facta Ex lib. 2
Dant animum maiorq; pijs audacia cœptis.
–Fiducia mœstis Ex lib. 3
Nulla viris: ægro assiduè mens capitur æstu.
–Rebus semper pudor absit in arctis. Ex lib. 5

Est amor, & rerum cunctis tutela suarum.
Ex lib. 6 *—Nulla cœlum reparabile gaza.*

EX CATVLLO.

Ad Varum.

Nimirum idem omnes fallimur: neq; est quisquam
Quem non in aliqua re videre Suffenum
Possis: suus cuiq; attributus est error:
Sed non videmus manticæ quid in tergo est.

Ad Lesbiam.

Difficile est longum subito deponere amorem:
Difficile est: verum hoc quod lubet, efficies.

EX PROPERTIO.

Ad æmulum suum Gallum.

Nec tibi nobilitas poterit succurrere amanti.
Nescit amor priscis cedere imaginibus.

Ad Mecœnatem.

Ex lib. 2 *Nauita de ventis, de tauris narrat arator.*
Enumerat miles vulnera, pastor oues.
Omnes humanos sanat medicina dolores:
Solus amor morbi non amat artificem.

Ad irrisorem.

Ac veluti primo taurus detrectat aratra:
Pòst venit assueto mollis ad arua iugo.
Sic primo iuuenes trepidant in amore feroces.
Dehinc domiti post hæc æqua & iniqua ferunt.

Ad Cynthiam.

Non ita Carpathiæ variant Aquilonibus vndæ,

Nec dubio nubes vertitur atra Noto:
Quàm facile irati verbo mutantur amantes.
Dum licet, iniusto subtrahe colla iugo.
Non solum taurus ferit vncis cornibus hostem:
Verum etiam instanti læsa repugnat ouis.

Ad amicam de riuali.

Sed vobis facile est verba, & componere fraudes.
Hoc vnum didicit fœmina semper opus.
Non sic incerto mutantur flamine Syrtes:
Nec folia hyberno tam tremefacta Noto:
Quàm cito fœminea non constat fœdus in ira,
Siue ea causa grauis, siue ea causa leuis.

Ad Musam.

Quòd si deficiant vires, audacia certe
Laus erit: in magnis & voluisse sat est.

De amore.

Quinque ille fuit, puerum qui pinxit amorem,
Non'ne putas miras hunc habuisse manus?
Hic primùm vidit sine sensu viuere amantes:
Et leuibus curis magna perire bona.
Idem non frustra ventosas addidit alas:
Fecit & humano corde volare Deum.

Voluptates suas explicat.

Errat qui finem vesani quærit amoris.
Verus amor nullum nouit habere modum.

Ad Cynthiam.

Ah pudeat certe, pudeat: nisi forte quod aiunt,
Turpis amor surdis auribus esse solet.

Ad Demophontem.

Vnicuiq; dedit vitium natura creato,
Mi fortuna aliquid semper amare dedit.

De amoris seruitute.

Libertas quoniam nulli iam restat amanti:
Nullus liber erit, si quis amare volet.

Ad Cynthiam.

Siqua venit sero, magna ruina venit.
¶ Inuidiam quod habet, non solet esse diu.
¶ Multum in amore fides, multum constantia prodest.

Ad Iouem pro amica ægrotante.

Nec forma æternum, haud cuiquam est fortuna perennis:
Longius aut propius mors sua quenq; manet.

Ad Cynthiam.

Ex lib. 3 *Vino forma perit: vino corrumpitur ætas.*
¶ At non ingenio quæsitum nomen ab æuo
Excidet: ingenio stat sine morte decus.

Ad amicam iratam.

Optima mors parca quæ venit apta die.

Ad Mecœnatem.

Turpe quod est nequeas capiti committere pondus,
Et pressum inflexo mox dare terga genu.
Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta.
Flamma nec ex æquo ducitur vlla iugo.
¶ Hic satus ad pacem: hic castrensibus vtilis armis:
Naturæ sequitur semina quisq; suæ.

De auaritia.

Aurum omnes victa iam pietate colunt.
Aurea nunc verè sunt secula: plurimus auro
Venit honos: auro conciliatur amor.

Aurum

Auro pulsa fides, auro venalia iura:
Aurum lex sequitur: mox sine lege pudor.
Frangitur ipsa suis Roma superba bonis.

EX TIBVLLO.
EX LIBRO PRIMO.

Ex eleg. 4

Longa dies homini docuit parere leones:
Longa dies molli saxa peredit aqua.
Annus in apricis maturat collibus vuas:
Annus agit certa lucida signa vice.

Ex eleg. 8

At tu dum primi floret tibi temporis ætas,
Vtere: non tardo labitur illa pede.

Ex eleg. 9

Ah miser, etsi quis primo periuria celat:
Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.
Sæpe solent auro multa subesse mala.

Ex ele. 10

Quis furor est atram bellis accersere mortem?
Imminet, & tacito clàm venit illa pede.

EX LIBRO II.

Ex ele. vlt.

Iam mala finissem leto, sed credula vitam
Spes fouet, & melius cras fore semper ait.
Spes alit agricolas: spes sulcis credit aratis
Semina, quæ magno fœnore reddat ager.
Hæc laqueo volucres, hæc captat arundine pisces:
Cum tenues hamos abdidit antè cibus.
Spes etiam valida solatur compede vinctum:
Crura sonant ferro, sed canit inter opus.

EX LIBRO III.

Ex eleg. 2

—Frangit fortia corda dolor.

Ex eleg. 3 ¶ *Non opibus mentes hominum, curæq; leuantur:*
Nam fortuna sua tempora lege gerit,

Ex eleg. 4 ¶ *Somnia fallaci ludunt temeraria nocte:*
Et pauidas mentes falsa timere iubent.

Ex eleg. 6 ¶ *Venit post multos vna serena dies.*

Ex eleg. 7 ¶ *Hei mihi difficile est imitari gaudia falsa.*
Difficile est tristi fingere mente iocum.
Nec bene mendaci risus componitur ore:
Nec bene sollicitis ebria verba sonant.
¶ *Vos ego nunc moneo, felix quicunq; dolore*
Alterius disces posse carere tuo.

EX CLAVDIANO.

In Ruffinum.

Desinat elatis quisquam confidere rebus.
¶ *Omnia mors æquat.*

EX LIB. III. DE RAPTV PROSERPINAE.

Omnia quæ sensu voluuntur vota diurno,
Tempore nocturno reddit amica quies.
Venator defessa thoro cum membra reponit,
Mens tamen ad syluas, & sua lustra redit:
Iudicibus lites, aurigæ somnia currus:
Vanaq; nocturnis meta cauetur equis.
Gaudet amans furto: permutat nauita merces:
Et vigil elapsas quærit auarus opes:
Blandaq; largitur frustra sitientibus ægris
Irriguus gelido pocula fonte sopor.

Ex lib.

EX LIB. CLAVDIANI IN EVTROPIVM.

¶ Asperius nihil est humili,cum surgit in altum: Ex lib.1
Cuncta ferit, dum cuncta timet, desæuit in omnes.
Vt se posse putent,nec bellua tetrior vlla est,
Quàm serui rabies in libera colla furentis.
Agnoscit gemitus,& pœnæ parcere nescit,
Quem subijt: dominiq; memor quem verberat,odit.
¶ Sed quia cæcus inest vitijs amor,omne futurum Ex lib.2
Despicitur. suadentq; breuem præsentia fructum:
Et ruit in vetitum damni secura libido.
¶ –At nunc qui fœdera rumpit
Ditatur:qui seruat,eget.
¶ –Quid non longa valebit
Permutare dies?

In nuptiis Honorii, Augusti, & Mariæ.

Non quisquam fruitur veris odoribus,
Hyblæis latebris,nec spoliat fauor,
Si fronti caueat,si timeat rubos.
Armat spina rosas,mella tegunt apes.

De quarto Honorii Augusti consulatu.

–Virtute decet,non sanguine niti.
¶ Maior & vtilior facta coniuncta potenti
Vile latens virtus.
¶ –Tunc omnia iure tenebis,
Cum poteris rex esse tui proclinior vsus
In peiora datur,suadetq; licentia luxum.
Illecebrisq; effræna fauet.tunc viuere caste

Aſperius, quum prompta Venus:tum durius iræ
Conſulimus, quum pœna patet.
¶ –Sola deos æquat clementia nobis.
¶ –Componitur orbis
Regis ad exemplum:nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, quàm vita regentis.
Mobile mutatur ſemper cum principe vulgus.
¶ Inquinat egregios adiuncta ſuperbia mores.
¶ Sæpius incautæ nocuit victoria turbæ.
¶ –Tum conſpicuus gratusq; geretur
Sub te teſte labor.
¶ Perdurat non empta fides:nec pectora merces
Alligat.
¶ –Præmiſſa futuris
Dant exempla fidem.

In conſulatu Manlii Theodori.

Qui fruitur pœna, ferus eſt:legumq; videtur
Vindictam præſtare ſibi.
¶ –Dijs proximus ille eſt,
Quem ratio, non ira mouet.

In Stiliconis laudes.

Scilicet in vulgus manant exempla regentum:
Vtq; ducum lituos, ſic mores caſtra ſequuntur.
¶ –Plus eſt ſeruaſſe repertum,
Quàm quæſiſſe decus.
¶ Fallitur egregio quiſquis ſub principe credit
Seruitium:nunquam libertas gratior extat,
Quàm ſub rege pio.

SENT

SENTENTIAE PROPHANAE EX DIVERSIS SCRIPTOribus in communem puerorũ vsum collectæ, per Leosthenem Coluandrum.

DE LITERA A.

AB aliorum casu, disce quid vites.
Abijciendus pudor, quoties vrget necessitas.
Absente vino nulla tunc adest Venus.
Absit clamor in colloquio, aut lusu.
Abstinendum à commercio garrulorum.
Absq; pecunia versari cum hominibus res est difficillima.
Accipere quàm facere iniuriam præstat.
Accesserunt modo opes, potes quàm plurimum.
Acutissimus gladius est fames.
À cane non magno sæpe tenetur aper.
Ad otium procliues sumus omnes.
Aduersa æquo animo sunt toleranda.
Adulatio maxima in amicitia pestis.
Adiuncta est paruis gratia rebus.
Adolescentis est maiores natu vereri.
Ad suum quenq; quæstum esse callidum æquum est.
Adest vnicuiq; rei modus.
Ad omnem disciplinam tardior est senectus.
Adeò in teneris consuescere multum est.

Aduersarium qui laudat, deo similimus.
Aduersum necessitatem ne dij quidem resistunt.
Ad fidem faciendam certiores sunt oculi.
Admones liberè rari sunt.
Affabilitas ad conciliandam amicitiam efficacissima.
Agentes & consentientes pari pœna puniuntur.
Alius alijs in rebus præstantior.
Aliena nonnunquam rectius quàm nostra perspicimus.
Alterius salus alterius ex exitium.
Alterius opes, alterius sunt spolia.
Aliena mala spectans doctus euadit.
Alijs alia placent & probantur.
Alia committenda, alia celanda.
Alius in alium culpam reijcit, sibi quisque palpatur.
Aliam ætatem aliam decent.
Alia vita, alia viuendi ratio.
Alia virorum, alia sunt mulierum officia.
Alijs aliud vitij est.
Amor vincit omnia.
Amicos inter aduersa cognoscimus.
Animi hominum mutabiles.
Amici boni rari sunt.
Amor omnis successore nouo vincitur.
Amicus verus, thesaurus est magnus.
Amicis sumus amici, inimicis infesti,
Amicus magis est necessarius quàm ignis & aqua.
Amicum secundæ res parant, aduersæ probant.
Amicus certus in re incerta cernitur.
Amici probantur in rebus incertis.

Amicitia

Amicitia vetus raro aboletur.
Amici fucati perniciosi.
Amanti nihil est difficile.
Amicitiæ venenum est odium.
Amici in rebus aduersis cognoscuntur.
Amicus tanquam alter idem est.
Ambitio in repub. pestilentissima.
Amicus res optima.
Amicitia suscepta lite periclitatur.
Amor ex videndo nascitur mortalibus.
Amor verus nullum nouit habere modum.
Amor metu atque potentia non conflatur.
Amorem oculi potissimum conciliant.
Amor omnes difficultates frangit.
Amor est magister artium, & omnis doctrinæ.
Amor sui cœcus.
Amicitia omnibus rebus anteponenda.
Amicitia posthabita, vita nulla est.
Amicitiæ veræ sempiternæ.
Amicitia constat similibus.
Amicitia nullum pondus recusat.
Ampla satis forma pudicitia.
Amare & sapere vix deo concedetur.
Amicus verus rara auis est.
Annus fructificat, non tellus.
Animus æquus optimum condimentum.
Animi laborantis medicus est oratio.
Animus iratus non facile parit.
Animus duris rebus assuetus minus offenditur.

Animus cuiusque sermone reuelatur.
Animi est generosi fortiter ferre aduersa
Animorum disiunctio dissensionem facit.
Ante annos prudentia nulla.
A' periculosis negocijs abstinendum.
Arrogantiam sequitur infamia.
Ars vincit naturam.
Arcus intensus rumpitur.
Ardeliones nihil de se præstant.
Argentum & anima & sanguis est mortalibus.
Ars laborat citra fortunæ opem.
Assuefactio efficacissima est.
Assiduitas durissima vincit.
Asinus mauult stramina quàm aurum.
Assueta mala non offendunt.
Audentes fortuna iuuat.
Auarus volens pauper est.
Auro placatur rex ferus.
Auaritia nihil miserius.
Auro patent cuncta atque Ditis ianuæ.
Auaritia est triste vitium.
Auro loquente nihil pollet quæuis oratio.
Aurum multis sæpe suasit perperam.
Auro cœlum panditur.
Aurum omnium malarum rerum materia.
Auaritia cor occæcat, & indurat.
Auari male cibant conuiuas.
Auarus semper eget.
Auari cupiditas nunquam expletur.

Auaritia non habet finem.
Auaritia semper se famelicam & egenam sentit.
Auaritiæ semper vicina est crudelitas.
Auaritia nullum vitium tetrius.
Auaritia in sene præsertim turpissima.
Auaritia lites parit, & partes alit.
Auari non possunt satiari.
Auaro diuiti nihil est absurdius.
Auarus quicquid agit properat omnia.
Auaritia malis omnibus abundat.
Aures hominibus minus sunt fideles quàm oculi.
Audere non est sapientis.

B.

Bacillus vitæ est egregia ernditio.
Beneficium in malo homine perditur.
Beneficium semper beneficium parit.
Beneficij gratiam perdidit, quisquis exprobratur.
Beneficium animo donantis metiendum.
Beneficium in malos non est conferendum.
Beneficium & gratia vincula sunt concordiæ.
Beneficium collatum in gratos solet fœnerari.
Beneficij exprobratio molesta est.
Beneficium inopi bis dat, qui dat celeriter.
Bellum ciuile malum perniciosum.
Belli exitus incerti.
Belli fortuna anceps.
Bellum gerendum consilio.
Bellum omnem impietatem docet.

Bellum hominibus maximum est malum.
Bene consultare maximum est lucrum.
Bene pauperem esse melius est quàm ditescere male.
Beatissima ciuitas, quæ à sapientibus regitur.
Bene audias malim quàm fias ditior.
Beatus est nemo sua ex sententia.
Boni viri est obliuisci iniuriarum.
Bonæ leges ex malis moribus procreantur.
Bonis quod benefit haud perit.
Bonus paterfamilias domum efficit bene institutam.
Bonos viros nihil maledicta vulnerant.
Bona multa negligendo perduntur.
Boni ad bonorum conuiuia vltro accedunt.
Bonus esto consultor amico haud improbus.
Bonus improbis non vulneratur verbis.
Boni viri nunquam alienis moribus obsecundant.
Breuis & inconstans est huius vitæ prosperitas.
Breuis est hominum vita.
Bis pueri sunt senes.
Bis dat qui cito dat.
Bonis amicus parcius vtendum.
Blandiores amici magis cauendi quàm tristes.
Benefacta male locata malefacta arbitror.
Bene immemor sis facti, & accepti memor.
Bene est cui deus obtulit pauca.
Bonos viros omnia decent.
Boni pastoris est tondere pecus, non deglubere.

C.

CAstitas & pulchritudo raro cohabitant.

Canis

Canis pauperem peregrinum ſemper infeſtat.
Canis feſtinans cæcos parit catulos.
Canis antiquus cathenæ aſſuefieri non poteſt.
Carere debet omni vitio, qui in alterũ dicere paratus eſt.
Cadente quercu quiuis ligna colligit.
Caruiſſe triſtitia, felicis eſt viri.
Cani indicant ætatem, non prudentiam.
Cauſa eſt malorum lingua plurium.
Caſus ſubitus quandoq; nobis conſulet.
Calamitates quanto magis improuiſæ ſunt, tanto magis offendunt.
Canes timidi vehementius latrant.
Certiora quæ videntur, quàm quæ audiuntur.
Cæca, & parum felix vita eſt mortalium.
Celebs homo magna caret moleſtia.
Celant ſua mala domeſtica ſapientes.
Cæcutit & videns ignorans literas.
Calliditas nimia interdum obeſt.
Cauendum ab eo, qui ſemel impoſuit.
Certiſſimum iudicium ex collatione naſcitur.
Cedendum vbiq; multitudini.
Cibus & potus irritamenta ſunt libidinis.
Citra laborem nihil bene eſt.
Charum eſt quod rarum eſt.
Charius eſt quicquid multa mercede paratur.
Cibus immodicus noxius.
Conſcientia mille teſtes.
Comes facundus in via pro vehiculo eſt.
Conſuetudo omnia dura lenit.

Consilium vbiq; plurimum valet.
Consultor res sacra.
Consilio melius vincas quàm iracundia.
Consilia sæpe dat impetus.
Consilio inimica iracundia.
Consultatione re peracta non opus est.
Consilium petendum à consultis & prudentibus.
Constat honos planè innumeris laboribus.
Conscientia recti suauissima est.
Conscientia falli non potest.
Conscientia bonorum factorum nihil est dulcius.
Conscientia rectè facti norma:
Consuetudo cum bonis viris est habenda.
Consilio recto nihil erit securius.
Consilia præbeat tibi prudentior.
Corpus magis dolere quàm mentem velis.
Coneris ex iusto tibi victum quærere.
Cogit furor multa mala nos committere.
Comite scelesto haud vnquam iturus vtere.
Corpus gladius, sed verba mentem vulnerant.
Constantem amicum ne time in malis.
Corrigere naturam malam difficile erit.
Consiliarius nemo est melior tempore.
Corporis vires labor modicus alit.
Consuetudo in naturam transit.
Comitas amicos parit.
Comitate vincendi morosi.
Communis est omnis amicorum dolor.
Consuetudo quouis tyranno potentior.

Concor

Concordia fulciuntur opes etiam exiguæ.
Coiuncti pollent etiam vehementer inertes.
Commune naufragium omnibus ſolatium.
Conſuetudine redditur iucunda paupertas.
Conſtanter ferenda quæ accidunt.
Conſcientia benefactorum virtutis præmium.
Conſuetudo in rebus omnibus ſemper eſt potentiſſima.
Contemplatio omnis amica eſt ſilentio.
Conſilijs euentus non ſemper reſpondet.
Concedendum nonnunquam de tuo iure.
Committet nemo ſuas res homini futili.
Cõmercium cum eo noli habere, à quo ſemel es deceptus.
Conciliant amicos diuitiæ.
Cuiq; ſua dos eſt.
Cupiditati nihil eſt ſatis.
Cupiditas inexplebilis eſt.
Cum potentioribus non eſt certandum.
Cum deo quiſq; gaudet & flet.
Cupiditas animi nunquam ſatiatur.
Cum miſer miſeriorem aſpicit, ſuam æquius fert miſeriam.
Cunctis opibus ſapientia eſt precioſior.
Cura in omni re plurimum valet.
Cum vrget neceſſitas, nihil non facimus.
Cura eſſe quod audis.
Cum nocet amicus, nihil ab hoſte diſcrepat.
Cui contigit bonus amicus, is vere felix eſt.
Cuiq; pro arbitrio res ſua agitur.
Cum dijs non eſt pugnandum.
Cum amico benemerito non eſt ſuſcipiendum certamen.

Crescentem sequitur cura pecuniam.
Crudelitas maxima inimica naturæ.
Cupiditas pecuniæ fugienda.
Cunctos iuuat ditescere: at non possumus.
Curat monita haud vlla improbitas admittere
Cuncta & dies producit, & dyudicat.
Cum blanditur inimicus, fallit.
Custodia famæ magnæ magnus est labor.
Contraria contrarys curantur.
Corporis vires labor modicus alit.
Cæcus amor sui.
Cuncta & parit tellus, rursusq; illa accipit.
Cui fortuna aduersatur, amicos non habet.

D.

DEsidia generat obliuionem.
Degeneres animos timor arguit.
Desipere in loco summa sapientia est.
Decus addit vsq; fœminis silentium.
Deus est vndiq;, vidit quoq; omnia.
Deus odit viroq; genu claudicantes.
Deo volente nauigabis vimine.
Deorum honore amici habendi sunt loco.
Diuitias amare, parui est animi.
Dies multa affert.
Diuturnitas magnos luctus tollit.
Dignus est decipi, qui decipiendo cogitauit.
Dij nulli dederunt omnia.
Dispares mores disparia studia sequuntur.

Discordia dilabuntur regna.
Diuitiæ vitiorum ministræ.
Difficile est assueta relinquere.
Difficilima honesta sunt.
Dij omnia possunt.
Dij tacite iuuant.
Dij bona laboribus vendunt.
Diuitiæ multis mortem attulerunt.
Diffidentes facile superantur, concordes haud facile.
Diligitur nemo, nisi cui fortuna secunda est.
Difficilimum vincere naturam.
Difficile est tristi fingere mente iocum.
Diues est, qui nil sibi deesse putat.
Diuitiæ bonæ mentis onera.
Diuitiæ magnæ sunt, esse inopem malorum.
Diuitiæ labore parantur, & prodigalitate pereunt.
Diuitiæ fastum pariunt.
Diuitiæ non semper optimis contingunt.
Diuitiæ nullæ certiores, quàm quæ animo possidentur.
Diuitiæ non mutant hominis ingenium.
Diues aut iniquus est, aut iniqui hæres.
Diuitum miserrimus est status.
Dijs, parentibus, præceptoribus non redditur æquiualens.
Difficilis res est inuentu verus amicus.
Difficilia quæ pulchra.
Diuitiæ male partæ, male dispensantur.
Diuitiæ incautos illaqueant.
Dies adimit ægritudinem.
Diuitiarum & formæ gloria fluxa atque fragilis est.

Difficile

Difficile est dum adhuc viuimus iudicare.
Dicas amici non tuum præconium.
Diuersa sunt & multa & apta dicere.
Disponit lex, & recte cuncta iudicat.
Diues memineris, vt prosis pauperculis.
Doctrina vana est, ratio ni accesserit.
Domus columnas existimato masculos.
Docet peregrinatio modestiam.
Dolori medetur vna ratio.
Donec senectus obrepat, spera omnia.
Donum quodcunque probato.
Docti doctorum familiaritate gaudent.
Doctrina mortalibus non auferenda possessio.
Dona multum possunt.
Dos non facit faustum coniugium, sed virtus.
Dulce & decorum est pro patria mori.
Dum feles dormit, saliunt mures.
Dulces ex ipso fonte bibuntur aquæ.
Dulce est bibere vinum, sed turpissimum fieri ebrium.
Dulce est meminisse laborum.
Dubius rerum euentus.
Dulce est paternum solum.
Dulce est otium.
Diuturnum nihil.
Durum est ea relinquere, quibus diu assueueris.
Durum illud verbum ingenuis animus, rogo.
Dura patienter ferenda sunt.
Dulce est otium bene feriatis à malis.
Durus fames magister multa perdocet.

Dum

Dum habebimus pecuniam, habebimus amicos.
Dum non licet, vt expeto, viuo vt queo:
Dæmonum esca vana gloria.
Diuitiæ sunt materia superbiæ.
Deus & natura nihil faciunt frustra.
Diuitias amare, parui est animi.
Dies multa affert.
Diuturnitas magnos luctus tollit.
Deteriorum semper maior pars.
Dat veniam coruis, vexat censura columbos.
Dato munere mox senescit gratia.
Domino est iucundius deseruire optimo.
Deum cole, & ducto illius cuncta egeris.
Deum puto id quo alimur & subsistimus.
Damnaueris nullum causa non cognita.
Decet peregrinum in primis modestia.
Deum latere ne putes periuria.
Dormire quiddam habet mortis mysterij.
Ducit ad lucem veritatem tempus.
Deo similimus, qui sese vincit.

E.

Effœminatorum etiam oratio effœminata:
Ementitum consilium non lædit.
Est malum docta lingua pestilens.
Egestatem adfert manus otiosa.
Ex voluptate fit infelicitas.
Exercitatio optimus est magister.
Aetate prudentiores reddimur.

E squilla non nascitur rosa.
E cantu dignoscitur auis.
Ebrietas dementat.
Errando discitur.
Exercitatio potest omnia.
Ex aspectu nascitur amor:
Eruditiores efficimur omnes damno.
Ex conuictu oritur amor mutuus.
Extrema gaudij luctus occupat.
Ebrietas abditissima pectoris profert.
Eundem laudare & reprehendere, hominis est mali.
Aetatis insolentia longo rerum vsu mitigatur.
Aegroto dum anima est, spes est:
Extrema sors malorum est amator senex.
Ex vitio alterius sapiens emendat suum.
Et semel emissum volat irreuocabile verbum.
Expers doloris nulli vita viuitur.
Aerumna morbos adijcit mortalibus.
Etiam senem studium apprime decet frequens.
Eum qui irascitur, blanda oratione placare conuenit.
Ex aliorum erratis ipsi cautiores efficiamur.
Est puer omni bestia intractabilior.
Est miserorum, vt malis sint volentes, atque inuideant bonis.
Esurientibus amara est Venus.
Ebrietas nihil consulte, neq; moderate vel dicit, vel facit.
Et meum telum cuspidem habet acuminatam.
Et mihi sunt vires, & mea tela nocent.
Aequalitas haud parit bellum.

Ex minimis initijs maxima.
Exiguum malum ingens bonum.
Ex alterius malo ſumamus exemplum.
Aequalis æqualem delectat.
Etenim improbo vir eſt voluptati improbus.
Ex æqualibus vxor ducenda eſt.
Exilium homini eſt illic vbi parum commode viuit.
Eximia eſt virtus præſtare ſilentia rebus.
Ebrietas magiſtra eſt libidinis.
Errare commune eſt mortalibus.
Aedes ſuas ſeruaſſe, vxoris eſt bonæ.
Eſt omnium ſimul conſumptrix fœmina.
Eſt emori nobis commune debitum.
Eſt vndiq; deus, videt quoq; omnia.
Errata ipſi noſtra non agnoſcimus.
Aequum eligas habere, nimium non aue.
Eſt ſemper optimum quod & turpiſſimum.
Aetatis eſt longa multa & calamitas.
Et res ſimul tempore intereunt & memoria.
Ebrietatis comes obliuio.
Eſto ſtrenuus re ipſa, non verbis.
Enſis vulnerat corpus, ſed animum oratio.
Ex præteritis futura collige.
Aequalitas in omni vita præclara eſt.
Ex muſis bona laus oritur hominibus.
Errores magni rarò niſi ex magnis ingenijs prodiere.
Exilium multos honeſtauit.
Errare cuiuſuis, perſeuerare in errore inſipientis.
Euentorum cauſæ magis mouent, quàm ipſa euenta.

Aegestas sæpe animũ ad consilia mala deflectit atq; traducit.
Elatio animi atq; arrogantia vitanda est.
Est longe preciosissima possessio fama honesta.
Experimento nihil certius.
Ex nihilo nihil fit.

F.

FAme nihil miserius.
Fames cibi condimentum est, potionis sitis.
Fortes fortuna adiuuat.
Fortis est falsam infamiam contemnere.
Forti viro detrahi nihil potest.
Frons est animi ianua.
Frugi homo omnia recte facit.
Fatuus stulta loquitur.
Filij plerunq; patribus deteriores.
Fortis animi est, non perturbari in rebus aduersis.
Felicitas multos habet cognatos.
Flagitiorum turpis est exitus.
Felicium multi cognati.
Felicitas incitat inimicitias.
Felix qui nihil debet.
Fortuna in omni re dominatur.
Fortuna alijs dat, alijs aufert.
Felicitatis comes inuidia.
Fallere alios malum est.
Fortuna similima vento est.
Felix amicus est deorum spectaculum.
Facilius quis consulit alijs, quàm sibi.

Fortunæ incommoda nihil mouent ſapientem.
Feſtinationis comites ſunt error & pœnitentia.
Feliciter ſapit, qui alieno periculo ſapit.
Firmum nihil in vita videtur.
Fugax eſt ætas, & vitrea res valetudo.
Facile placatur, qui volens iraſcitur.
Futurorum nulla certa cognitio.
Facile fuſtem inuenerit, qui cupit cædere canem.
Fortunatus multum habet amicorum.
Fortuna hunc locupletat, illum redigit ad inopiam.
Facile euolat verbum, tamen nunquam redit.
Fames optimus coquus.
Fames eſt magiſtra artium complurium.
Fœmina eſt imperioſum animal.
Fœmina nihil eſt peſtilentius.
Fœminæ proprium ſuperbia eſt.
Fœminæ præſentia vmbra nocens eſt.
Florida ſenectus ſimilima eſt adoleſcentiæ.
Fortuna humana fingit aratq́;, vt lubet.
Fortuna reddit inſolentes.
Fortuna ſproſpera dum blanditur, perdit.
Fortuna omnia rotat ad libitum.
Fratrum inter ſe iræ ſunt acerbiſſimæ.
Fortiſſimum eſt, iram ſuam vincere.
Fucatis hominibus in conuictu nihil eſt peſtilentius.
Fama diuitijs hæreditas honeſtior.
Fama omnia in maius extollit.
Famæ fulgor abſcondi non poteſt.
Facere nos mala multa, neceſſitas cogit.

Frugem bonam mores decori proferunt.
Felix eris nactus locupletem coniugem.
Felicibus iam nemo non cognatus est.
Facile egerit cuncta afferens opem deus.
Fœdo quæstui mox erit calamitas comes.
Felix qui fouet filium bene moratum.
Fies malus malorum contubernio.
Ferenda erit vtcunque sors mortalibus.
Fertilior seges est alieno semper in aruo.
Felicissimus, cui nihil contigerit in vita mali.
Felix eris, si sapies recte in omnibus.
Felix haberi vis, labor adsit improbus.
Ferendi consuetudo quicquid acciderit facilius tolerat.
Felix ac beata ciuitas, in qua non audiuntur hæc verba, meum, & non meum.
Factum stultus cognoscit.
Felix quicunque dolore alterius disces posse carere tuo.
Faber compedes quas fecit, ipse gestet.
Flagellum ipse parauit, quo vapularet.
Friget studium literarum sine socio.
Facile est absentem vincere, qui non repugnat.
Fortior est vnio quàm seditio, quæ est imbecillis.
Frustra sapit, qui sibi non sapit.
Formicæ tendunt ad inania nunquam horrea.
Facilius memorantur semel visa, quàm septies audita.
Facile lætitia mundi vertitur in mœrorem.
Fortiter malum qui patitur, post potitur bono.
Feras quod lædit, vt quod prodest perferas.
Facile est conuicijs altercari, verum re vincere difficile.

Fur

Fur furem agnoſcit, & lupum lupus.
Ferocitas ſedatur lenitate.
Felix cui quod habet ſatis eſt.
Finis miſeriæ mors eſt.
Facilis lapſus eſt in vitia.
Firmum nihil in vita videtur.
Frænum impone vbiq; linguæ.
Futili nihil credendum.
Fugienda eſt moroſitas & inciuilitas.
Fugiendum eſt malorum commercium.
Facies non raro fallit.

G.

GAudium dolori iunctum.
Garrulitas ſtultitiæ & mendacij argumentum.
Grauiora quæ videntur, quàm quæ audiuntur.
Grauis eſt culpa, tacenda loqui.
Grauius malum eſt, quoties calamitati coniungitur odium.
Gens diuitum plerunq; prorſus deſipit.
Graue eſt ſenectutem pertuliſſe & inopiam.
Gratiam adfert gratia.
Gallus in ſuo ſterquilinio plurimum poteſt.
Generoſus animus rectius ducatur quàm trahatur.
Generoſioris arboris ſtatim planta cum fructu eſt.
Gratior eſt pulchro veniens è corpore virtus.

H.

HOmine nil miſerius.

Honores mutat mores.
Honos alit artes.
Homo bulla est.
Hostem beneficijs vincere, optima vbi est.
Homo sibiipsi calamitatum autor.
Homo non potest esse sui iudex æquus & incorruptus.
Homini dolor natura est maximus fames.
Humilis fortuna tutior est, quàm excelsa.
Humilis fortuna non est maximis malis obnoxia.
Homini plura ex homine mala.
Homines ad malum proclives.
Homines magis ad vitia, quàm ad virtutem poni sunt.
Homines curant superuacua, & negligunt necessaria.
Homo fusca & ambigua merx est.
Homini diligenti, semper aliquid superest.
Hominum mentes variæ.
Hæreditas famæ, quàm diuitiarum honestior.
Hostium munera non sunt munera.
Hominis figura oratione cognoscitur.
Humani animi difficilis est coniectura.
Honor & dignitas quales viri sint declarant.
Hostimentum est opera pro pecunia.
Homines frugi omnia recte faciunt.
Habent rosæ suum tempus, sed perbreue.
Haud quaquam fieri potis est, vt peruigil vsque mortalis duret.
Homo auarus quicquid agit properat omnia.
Habent & suam profunditatem tranquillæ aquæ.
Heu quàm difficile est crimen non prodere vultu?

Habent hunc finem assiduæ querelæ, quòd queri pudet.
Humani casus ancipites.
Homo vmbræ somnium.
Humanarum rerum vicissitudo.
Heri probitas familiam etiam reddit meliorem.
Humile vitæ genus tutissimum.

I.

INsipiente fortunato intolerabilius nihil.
Inter socrum & nurum vetus est bellum.
Ira prohibenda est in puniendo.
Irati nihil recte faciunt.
Iustitia in omni re gerenda necessaria.
Infelix litium exitus.
In leuioribus erratis sufficit secreta correptio.
Incertus est rerum exitus.
Inter fratres rara concordia.
Ignauis semper feriæ sunt.
Inconsulti facile ruunt.
Inimica consilio iracundia.
Iucundum est quod varium.
Inter amicos omnia sunt communia.
Iactantiæ comes inuidia.
Ipsa senectus morbus est.
Ingratitudo virorum omnium caput.
In omni re opus est animo.
In aduersis amicus probatur.
In omni re varietas delectat.
Inuidia ex opulentia orta est.

Incertus est exitus contentionis.
In consensu populi floret regnum.
Imperia comparantur beneuolentia.
In discrimine apparet qui vir.
Inter arma silent leges.
Impatientia res cunctas exasperat.
Impetus cuncta male ministrat.
Improbo conuictu nihil perniciosius.
Infima fortuna tutissima est.
In vita varij fortunæ casus.
In malis bonorum memoria consolatur.
Inimicum quamuis humilem docti est metuere.
Inæqualitas discordiarum mater.
Insperata accidunt magis sæpe quàm quæ speres.
Ingenia præclara æmulis nunquam creuerunt.
Iugum qui fert volens, leue efficit.
Innumeris laboribus honos constat.
Ipsa dies quandoque parens, quandoque nouerca.
Infelicitatem absconde, ne inimicos reddas lætos.
Ingentes opes non parantur sine fraude.
Iuuentus talis res est, qualis flos.
Inopia & generosos facit ignobiles.
Ingratitudo omnia vitia in se complectitur.
Ira non sedatur iracundia.
Iniquitas morum planè inficit.
Incommoditas semper comes est commoditatum.
Ira tormentum suppliius.
In aliena vitia natura sumus oculati, in nostra cæci.

In mundo nil nisi ærumnæ & calamitates.
In nocte consultare cordati est viri.
Iucunde viuere, id solum est viuere.
Ingratus est beneficij parum memor.
Iuuat seniorum amasse consuetudinem.
Iuuenum cœtui senex homo est molestus.
Iram mox remittere benigni est patris.
Iusti viri fructus bonus non interit.
Iuuat bene omnes viuere, at non possumus.
Iræ potissimum sermo medebitur.
In comitate parua non est gratia.
Iuuenem decet tacere non loqui.
Iuuenis senes audire cura sedulo.
Iurare quanquam iuste possis, effuge.
Iræ imperans, vitam viues validissimam.
Iræ amantium breui valent momento.
Iratus ipse tutò rebus nunquam consulet.
Iusiurandum fugite, etiam si iuste iuraueris.
Iucundius nil, quàm opibus dominari.
Incumbere varijs vbiqꝫ est languidum.
Incomprehensibilis res est improbitas.
In pretio omnia sunt, præter quàm mali mores.
In perniciem lingua egit multo plurimos.
Iniquum amicos præter causam offendere.
Inter duos amicos caue sis arbiter.
Iustum virum nil præter tempus iudicat.
Impetus sæpe dat consilia.
In malis rebus opus est bono consilio.
Indigentia è segnitie nascitur.

In lucris oportet modum ſectari.
Incitamenta libidinis ſunt vina.
Ingenium extinguit luxus immodicus.
Induſtriam adiuuat deus.
Ingens telum neceſſitas.
Inſultus fortunæ nihil poteſt in ſapientem.
Ira omnium tardiſſime ſeneſcit.
Ira amantium paruum durat tempus.
Ingens theſaurus bonus amicus & dulcis.
In rebus aduerſis amicus noſcitur.
Iucunda conſuetudo cum amico.
Infamia hominum immortalis eſt.
Ingratius homine nullum eſt animal.
In periculoſo negocio non eſt dormitandum.
In omnibus negotiis exceſſus & defectus eſt fugiendus.
Infida ſemper eſt ſocietas.
Incommoda hilaritate condienda.
Inuiſus eſt omnibus, qui aliud celat animo, aliud loquitur.
Immodicæ laudes ſunt ſuſpectæ etiam hominum indicio.
Inuidere alij bene eſſe, ſibi male eſſe, miſerum eſt.
Illis quibus inuidetur rem habent.
Improbus eſt, qui beneficiũ ſcit ſumere, et reddere neſcit.
Indigna digna habenda ſunt, herus quæ facit.
In re mala animo bono ſi vtare, adiuuat.
Inter amicos decet omnia boni conſulere.
Inſtrumenta luxuriæ tympana & tripudia.
Ita eſt animus humanus, vt quando velis, nolit, quando nolis, velit.

Improba lingua nihil eſt pernicioſius.
Incommodorum nouitas grauius peruertit.
Inopinata mala grauiora ſunt.
Impoſſibilia ſibi optare, delirantis eſt.
Immenſum gloria calcar habet.
Iucundum eſt quod varium.
Inutilis eſt pudor, quum vrget neceſſitas.
Incertum eſt, quid ſit futurum.
Inuidia ſuum torquet autorem.
Iuuentutis flos non eſt negligendus.
Iuſtitia & æquitas omni adhibenda negotio.
Infrænis oris & iniquæ vecordiæ finis calamitas.
Iuuenis noli ſenem prouocare.
Incidit in foueam quam fecit.
Ipſe ſibi mali fontem repperit.
Imperiti quicquid alijs placet, id damant.
In ſuo quiſq; regno fortior eſt, & animoſior.
Inuendibili mercæ oportet vltro emptorem adducere.
Iuppiter emetitur opes mortalibus ipſe.
In conſultando cunctatio tutior eſt, quàm periculoſa celeritas.
Ignis, mare, mulier, tria mala.
Iucunda taciturnitas, & omni moleſtia carens.
Impetus cuncta male miniſtrat.
In aduerſis animus probatur.
In conuiuio conuenit pauca loqui.
Iuuenum mores ſæpe in dies varieq; mutantur.
Innumera mala parit ſecuritas.
In neglecto domicilio negligens inquilinus habitat.

M 5 *Inuita*

Inuita Minerua frustra sudat præceptor.
Iteratum facinus non oportet impunitum esse.
Ingenia praua vertere, haud procliue est.
Ingenium mala sæpe mouent.
Inutile diutius abesse domo, relictis possessionibus.
In auro proborum pariter et improborum ingenium probatur.
Ingens telum necessitas.
Instar iniuriæ fuerit, si quis officium collocet in inuitum.
Iuuare amicos rebus afflictis decet.
Iudicat amicos tempus, vt aurum ignis.
Ipse cuiusmodi sit, factis ipsis declarat.
Ipse sibimet tibicen est.
Ipse semet canit.
Incognitum non amatur.
Idem regnum non fert duos tyrannos.
Idem munus non fert duos ambitiosos.
Iactantiæ comes inuidia.
Inuidia comes est felicitatis.
Inæqualitas discordiarum est mater,
Iucundi acti labores.
Iucundum est præclaris viris meminisse laborum.
Infelicissimum, incertis vagari sedibus.
Inualida pugna est vnicæ tantum manus.
Intempestiuus risus insaniæ aut stultitiæ argumentum est.
In nihil sapiendo iucundissima vita.
In multa sapientia multa indignatio.
In sene apparet cuiusmodi fuerit iuuenis.
In periculoso negotio non est dormitandum.

In

In malis non lamentis, sed auxilijs vtendum.
In vino veritas.
Insignis gloria non nisi magnis periculis contingit.
Ingratum est beneficium, quod diu inter manus dantis hæsit.
Inexplebilis est mendicitas.
Inanium inania consilia.
Ignem igni ne addas.
Ignis non extinguitur igni.
Ira non sedatur iracundia.
Iniuria beneficio vincitur.
Iucunda vicissitudo rerum.
In necessitatibus omnis senex est iuuenis.
Inuidus alterius rebus macrescit opimis.
Inopia multarum rerum expertrix est.
In magnis rebus difficilimum est posse placere omnibus.
Is miser est, qui ærumnam suam nequit occultare.
Ipse sibi nocet is, alium qui lædere quærit.
Inconstantia fastidit amicos.
In animo virtus est, aut vitium.
Iram compescere arduum.
Id cuiq; voluptati est, cuius dicitur amator.
Iucundum est hominibus, affici honore.
Iucundissimum est, si quis est dominus suarum rerum.
In lucris oportet modum sectari.
Improbo conuictu nihil perniciosius.
In animis laboriosorum habitant Musæ.
Inter veros amicos nihil veritate iucundius.

Labor

L.

Labor est thesaurus hominibus.
Lites animi tranquillitatem adimere solent.
Liberis nocet potare vinum.
Litem parit lis.
Libido ingluuiei est comes.
Largitio non habet fundum.
Labor gloriæ pater.
Longior vita solet plurima incommoda afferre.
Labor multos extulit, sopor nullum.
Libertas adulescentium ingenia aperit.
Luxuriæ gurges insatiabilis est.
Laudatur, non diu, sed qui bene vixit.
Lucella parua damna maiora afferunt.
Liuore fœminæ omnis conflagrat domus.
Lucrum malignum ne velis sectarier.
Lucrum malum damnum semper fert.
Lucrum existima, quod ex iusta causa obuenerit.
Leue est, monere ferentem, at ferre mala graue est.
Latere nullus nugator potest diu.
Laudare eundem & execrare, est improbi.
Labore omnia florent.
Laudari à bonis, sapiens gaudet.
Languet poëtarum ingenium, ni vino concalescat.
Labores leuandi otio & lusibus.
Lædit hominem animus in iram ruens.
Leuis iniuria à magno & excelso animo negligitur.
Lupus est homo homini non homo.

Loco ignominiæ est apud indigum dignitas.
Leuius ferunt, quorum malis ingemiscunt cæteri.
Luxu corporis hebetescit mentis acies.
Luxus immodicus extinguit ingenium.
Labor virtutis gloriam accipit.
Leuis est fortuna, cito reposcit quæ dedit.
Laudabilior in rege prudentia, quàm fortitudo.
Labor vincit omnia improbus.
Laudes & blanditiæ inimicorum veræ sunt contumeliæ.
Leges vrbium conseruandæ sunt, non violandæ.
Leuium & volatilum verborum grauissima pœna est.
Læta omnia raro sine infelici re aliqua eueniunt.
Laudo quum malum amici tuum ducis malum.
Lubentius oculatis quàm auritis testibus creditur.
Leges superiores sunt regibus.
Leges sepes & pharmacum.
Leges pharmaco comparantur.
Lupus pilum mutat, non mentem.
Lignum tortum haud vnquam rectum.
Latrante stomacho omnis mora bilem mouet.
Lucri bonus est odor ex re qualibet.
Leni ingenio præditi homines minime iracundi.
Luxuriant animi rebus plerunque secundis.
Labor tum ad sanitatem, tum ad omnia vtilis.
Loquacitas senectuti familiaris.
Largitur & bono deus viro bona.
Latere pœnas non intelligit improbus.
Leniter feras oportet, si quid accidet.
Labores contemnendo tolerabiles sunt.

Laude

Laude trahimur omnes.
Laus merces virtutis.
Leges inter arma silent.
Liberalitas optima conciliatrix animorum.
Liberalem oportet esse, sed pro facultate.
Libertate nihil dulcius.
Luxuria tum omni ætati, tum senectuti fœdissima est.
Luxuries auaritiæ mater.
Lædens me amicus nihil differt ab hostibus.
Lucrum nisi esset, nemo malus esset.
Licet consiliorum interdum rationes commutare.
Libenter feras quod necesse est.
Laudanda vel potius amanda vicinitas.
Longior vita diuturna calamitas.

M.

Malorum suorum homo sibi causa.
Minerua inuita nihil tentandum.
Munera corrumpunt magistratus.
Mediocritas optima. *Modus optimus.*
Mulierem ornat silentium.
Miserrimum fame mori.
Mala herba non perit.
Morbum augere solet mœror.
Malum vas non facile frangitur.
Mens est præsaga futuri.
Male partum male dilabitur.
Multa petentibus desunt multa.
Malus similem quærit.

Multis

Multis malorum causa præcipitatio est.
Matrona proba præsens est salus vitæ.
Mulieris est primum decus silentium.
Mulier viris affert victus penuriam.
Matrona frugi passim non est obuia.
Mulier domus salus est & calamitas.
Mulieri ne credas, ne mortuæ quidem.
Mulier mala cunctis feris est ferocior.
Mulier viris tempestas est domestica.
Mulier mala & leæna par est ferocitas.
Mortales pudore & iactura doctiores euadunt.
Multi sunt potus & cibi sodales.
Mulier in ædibus atra tempestas est viro.
Modo faueat fortuna, est dulce viuere.
Medicus loquax alter languenti morbus est.
Malum lucrum æquale dispendio.
Miserrimum mortis genus fame mori.
Multos male gratos reddit indigentia.
Mollius fit, quod suo tempore geritur.
Magis viuam honeste paruo, quàm male splendide.
Malim esse bonus informis, quàm pulcher improbus.
Mores bonos colloquia praua diruunt.
Maiora perdis, parua ni retinueris.
Malorum amicorum malignus fructus est.
Multa eueniunt homini quæ vult, multa quæ non vult.
Multis ictibus deijcitur quercus.
Mauelim mihi inimicos inuidere, quàm me inimicis meis.
Malo si quid benefacias, id beneficium interit.
Modus omnibus in rebus optimus est habitus.

Multa

Multos perdidit lingua,
Magnorum fluminum nauigabiles fontes.
Magistratum gerens audi & iuste & iniuste.
Multæ manus onus lenius reddunt.
Maritis ad quædam vxorum errata conniuendum.
Mentiuntur multa cantores.
Mendacem memorem esse oportet.
Medicorum loculi semper inanes.
Maxima difficultatis pars in aggrediẽdo negotio sita est
Malus cum malo colliquescit voluptate.
Magna inter molles concordia.
Mores hominum regioni respondent.
Malum malo non tollitur.
Malum patientia tollitur.
Magis valent consilia natu grandium.
Mature fias senex, si diu velis esse senex.
Mala senium accelerant.
Mala vltro adsunt vel inuocata.
Multo facilius fertur malum, quod nobis est cum omnibus aut cum multis commune.
Magis dolent incommoda, quibus ipsi dedimus occasionẽ.
Multum refert sic vel sic à iuuentute assuesci.
Mors est vltima linea rerum.
Mulieris dos est pudicitia.
Malorum felicitas non est diuturna.
Maiora viribus ne tenta.
Mulierem ornat silentium.
Mendici pera non implebitur.
Mortalibus nihil tutum est.

Male

Male partum male disperit.
Mutuis officijs constat amicitia.
Mors omnia sternit.
Manifestis non est repugnandum.
Mansuetudine placantur animi hominum.
Multum merum pauca cogit sapere.
Mortalium nemo est fœlix.
Multum refert, quo animo quid donatur.
Malum in dies gliscens fit immedicabile.
Medetur alijs ipsus hulceribus scatens.
Memoria thesaurus artium.
Mortalia omnia mutationes multas habent.
Magnæ res discordia pereunt, concordia valent.
Multa audere multa peccare facit.
Mendacium odit omnis sapiens & bonus.
Multa mala affert hominibus otium.
Multa cura summo imperio inest.
Malè mereri de immerente inscitia est.
Mortalia omnia mutationes multas habent.
Malum non alio malo, sed bono pellitur.
Mori mortalem minime mirandum.
Mala acerbius est videre, quàm audire.
Mali sunt hostes deorum.

N.

NOn vni dat cuncta Deus.
Natura appetit sibi simile.
Natura nihil solitarium amat.
Nihil nostrum est, quod auferri potest.

Nulla discordia, vbi idem est animus.
Ne commercium habeas cum improbis.
Ne mendacem sermonem protuleris.
Ne quid facias præter ius & æquum.
Ne fueris sollicitus in diem crastinum.
Ne curis tuum ipsius animum excrucies.
Ne vulgi sequaris errores.
Nihil gratum superis, quod non purum, purgatumq; sit.
Nemo rectè dominum agit, qui non antè ministrum gesserit.
Nihil est amicitia diuinius.
Non emo tanti pœnitere.
Ne moueris malum bene conditum.
Non inest aduersus calumniatoris morsum remedium.
Nihil turpius, quàm cum familiari bellum gerere.
Nihil assuetudine maius.
Nihil pestilentius malo consultore.
Nullus mortalium absolute bonus est.
Natura paucis contenta est.
Non refert, quàm diu vixeris, sed quàm bene.
Nullam nobis natura patriam dedit.
Nusquam tuta fides.
Nihil est fugacius tempore.
Nemo non seruit suis commodis.
Nemo est hominum, in quo non aliquid vitij inest.
Non est beneficium, quod in quæstum mittitur.
Non placet scurræ laudant.
Nusquam quiete viuere licet.
Nouit paucos secura quies.

Non

Non est cessandum vnquam in hac vita.
Naturæ necessitas exiguo placatur.
Nihil efficacius simplici veritate.
Negotiosa res est litigare.
Nemo sibi nascitur.
Nemo nascitur otio.
Neutiquam in alio culpandum est, quod ipse prius admiseris.
Non parum lucri facit, qui damnum effugit.
Nulla voluptas tanta est, quæ non assiduitate sui fastidium pariat.
Nemo est, qui nihil diligentia & labore sit consecutus.
Nisi habueris pecunias, nec nobilitas, nec scientia, aut virtus proderit.
Nusquam gentium delitiæ sunt optabiliores quàm domi.
Nulla virtus tam laudata est, quin non vituperatores inueniat.
Nihil vulgatius est quàm fastidire propriam sortem, & splendidiorem cupere.
Nemo tam diuos habuit fauentes, crastinum vt possit sibi polliceri.
Nemo læditur nisi à seipso.
Non est hominis, vt semper exactam præstet diligentiam.
Nullum regnum potest consistere, si intestinis dissidijs secum pugnet.
Non erit socius gaudij, qui recusarit esse socius doloris.
Non erit consors gaudij, qui nunc recusat particeps esse laboris.
Nihil tam nos decet, quàm merēti vel honorem exhibere

vel opem ferre.

Nulla est capitalior pestis, quàm domesticus & fucatus amicus.

Nihil est quod tentando vestigandoq; summis ingenijs aliquando non innotescat.

Non peccat in re, cuius est quis nescius.

Necessitati cuncta mox inseruiunt.

Necessitas ferijs caret.

Necessitas frangit ferrum.

Ne disce turpitudinem, neu admiseris.

Nemo vnus vsquam viuit ex sententia.

Nocet temeritas multum mortalibus.

Non consule improbis, magis vero bonis.

Non fœminam aurum exornat, sed boni mores.

Ne fœminæ vitam tuam commiseris.

Natura non dedit imperare fœminis.

Nil præter id quod gliscit, nouit fœmina.

Nunquam ex malo patre bonus filius.

Non suscipiendum negotium temere.

Natura non sinit præesse fœminam.

Natura in hoc finxit fœminam, non vt imperet, sed vt pareat.

Nolim ministrum, qui sit hero doctior.

Noli misero insultare, sors communis est.

Nemo vnus agit omnino vitam prospere.

Nihil est ab omni parte beatum.

Nocet voluptas multum intempestiuior.

Ne quenquam punito, rem nisi expenderis.

Nemo futuris rectè consultauerit.

Nil

Nil peius mœrore in rebus mortalium.
Nullum nouerca est alterum grauius malum.
Noli peregrinos videns fugere inopes.
Nullam feres pauperie molem acerbius.
Ne cuncta semper oro credas omnibus.
Nunquam repente vir bonus ditatus est.
Ne studeas male facere confisus opibus tuis.
Nihil est tam graue, quàm paupertas.
Ne festina ditescere, ne pauper fias statim.
Naturam iniquitas morum plane inficit.
Nihili virum caue vnquam amicum feceris.
Nil pretiosius fuerit silentio.
Nihil potest in vita firmum viderier.
Non consilium agit, at sors res mortalium.
Nullus emptor difficilis bonum edit obsonium.
Ne maiora viribus suscipias.
Nil sanitate est in vita præstantius.
Nemo vnus est, qui sese haudquaquam diligit.
Nulla est amicorum melior possessio.
Ne temne amicum infelicem ira percitus.
Nemo vlli maior amicus, quàm quisque est sibi.
Non conuenit sapiens omni negotio.
Ne quicquam agas temere, est conducibile vndique.
Natura largitur, cuncta & eadem accipit.
Natura disciplinis est longè præstantior.
Non officit bonis conuitium moribus.
Nihil est rerum omnium, quod arte industriaque non efficiatur.
Non vigẽt artes, vbi nulla sunt artibus constituta præmia.

Nihil fama leuius.
Nemo est tam malus, qui non velit saluam famam suam.
Non suscipiendum negotium temere.
Nemo sic diligenter aliena vt sua curat negotia.
Negotium seritur ex negotio.
Nihil est calamitosius homines.
Nihil vulgarius quàm fallere homines.
Nullũ animal, nulla merx difficilior cognitu quàm homo
Nihil dulcius amico monitore.
Nihil possidenti nemo amicus ne parens quidem.
Nihil est quod amore effici non possit.
Nullus dormiens est alicuius rei.
Nihil est in rebus humanis stabile.
Non viuendum vt edas, sed edendum vt viuas.
Nihil est absurdius diuite auaro.
Nota morum & index tempus est mortalibus.
Nihil mali est, quod non secum afferat ætas longa.
Nulla vitæ ætas præceptis carere debet.
Non ætate, verum ingenio adipiscitur sapientia.
Necessitati nihil repugnat.
Nihil non producit ad exitum industria & pertinax studium.
Nihil tàm recte, tam bene dicitur, quon non possit malum ingenium calumniari.
Nullum est ingenium tam ferum, quod non aliqua ratione queat expugnari.
Non proderit tibi ingenij felicitas, nisi exercueris.
Nihil est turpius sene libidinoso.
Non facile senem dedocueris vitia, quæ puer imbiberit.

Non est facile senibus & experientia doctis imponere
Nullum imperium in terris iustius est quàm patris.
Nihil auersatur extrema fames ac necessitas.
Non omne lucrum est homini vtile.
Nescis quid asper vtile numus habet.
Ne conare, quod fieri non potest.
Non est beatus, esse qui se nesciat.
Non decet principem solidam dormire noctem.
Non est locus precibus apud inexorabilem.
Nemo est, cui sua mala non videantur vel optima.
Negatur esse felix, qui suam non norit felicitatem.
Non expectant alienum præconium, quæ vere sunt præclara.
Nocet non iuuat, qui largitur noxia.
Non adest hilaritas, cum deest vinum.
Nunquam efficies, vt recte ingrediantur cancri.
Nihil est tam dirum, quod non emolliat assiduitas.
Nihil tam arduum, quod non efficiat assiduitas.
Negligentia semper habet comitem infelicitatem.
Non semper erit æstas.
Nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum.
Non est eiusdem & multa & oportuna dicere.
Nihil odiosius, quàm quod semper idem est.
Nulla satietas rerum honestarum.
Nihil tam egregium, quod idem diu placere possit.
Nihil difficilius, quàm bene imperare.
Nihil molestius, quàm malis imperare.
Non abest lis, si adest vxor.
Nihil dissotiabile firmum est.

Non refert quid de te alij sentiant, sed quid tu.
Nemo doctor spernendus est.
Naturæ suum ius eripere difficile est.
Naturæ frustra repugnatur.
Nullus est mortalis, qui non in aliqua re desipiat.
Natura rerum humana arte non vincitur.
Niti ad id, ad quod peruenire non potest, dementissimi animi est.
Nõ omni die bene esse potest, sed isto bene, atq; alio male.
Nunc pluuit, & claro nunc Iuppiter æthere fulget.
Non semper eidem flant venti, sed nunc hi, nunc alij.
Nihil inexpertum affirmes.
Non est iniuria pati quod prius feceris.
Non potest fieri, vt non succedat aliquãdo multa tẽtanti.
Nihil solidum vel stabile in hoc mundo est.
Nihil tam necessarium, atq; bonarum legum obseruantia.
Nomiuum claritudine pueri alliciuntur.
Nulla ætas est præpropera ad discendum.
Neglectis vrenda filix innascitur agris.
Nihil recte faciunt ministri, nisi adsit herus.
Nunquam rectum tortile lignum.
Non interpellandus est famelicus.
Non omnia eueniunt, quæ in animo statueris.
Ne Iuppiter quidem omnibus placet.
Ne dij quidem à morte liberant.
Nemo cogendus amicus.
Null futurus est amicus, qui nihil vitiorum in amico ferre potest.
Non sunt amici qui degunt procul.
Ne malorum memoriam reuoces.

O.

OMne nimium cunctis in rebus est fugiendum.
Occasio non negligenda.
Oratio est cibus animi.
Oculis magis habenda fides quàm auribus.
Ob fœminas agunt multi infeliciter.
Opibus decet præferre mores in nuptijs.
Opem fert Deus, si iusta gesseris.
O quàm cruciat comes voluptatis dolor.
Occasio iure est multo preciosior.
Occasio feras soluit tyrannides.
Occasio detur, multa & pauper potest.
Occasio viros qui non erant facit.
Oratione nihil est efficacius.
Oratio ærumnis medetur vnice.
Omnes benignos reddit eruditio.
Odi odientem, & amicum amando vincito.
Opes amicos conciliant mortalibus
Odit sapiens vir & frugi mendacium.
Optime cogitata sæpe pessime cadunt.
Odi pauperem diuiti donantem.
Omnium ætatum certus est terminus.
Omnia fert ætas.
Oportet senescentem semper aliquid addiscere.
Omne tempus Clodios, non omne Catones fert.
Odi pecuniæ auaros.
Omnes homines malo sunt subiecti.
Omnia si perdas, famam seruare memento.

Oculus domini multum prodest in rebus omnibus gerendis.
Omnia adsunt bona, quem penes est virtus.
Omnia habere nemo potest.
Operosa res est, imperare liberis.
Omnis scientia repugnante natura, vel parum, vel prorsus nihili valere iudicatur.
Omnium quæ natura honesta sunt nulla est satietas.
Optima quæq; difficiles habent aditus.
Opulentiæ comes est fastus, supercilium.
Ornamento est principi concordia populi.
Omnia quæ ventura sunt, in incerto iacent.
Omnis res suo tempore.
Omnes ad discenda turpia sumus valde dociles.
Opes celeriter dilabuntur.
Omne principium graue.
Omnibus horis nemo sapit.
Optimum aliena insania frui.
Otiosis pericula imminent.
Odium obsequio lenitur.
Omnia suo tempore peragenda.
Omnes res facile mutantur.
Ordo in omnibus est seruandus.
Oculus domini saginat equum.
Opes optimæ sunt, si recte vtaris: pessimæ, si secus.
Omnis malitiæ radix amor sui.
Omnis homo incertus est mortis suæ.
Ocium multa docet vitia.
Optima quæq; mortalium fugacissima sunt.

O' fortunatos, nimium bona si sua norint.
Omnium est dulcissimum accipere.
Omnia bonos viros decent.
Omnes sibi melius esse malunt, quàm alteri.
Odi puerulos præcoci sapientia.
Oscitante vno, deinde oscitat & alter.
Omnia bona pace constant.
Omnia iunguntur pace & amicitia.
Omnia socrus inuisæ sunt nuribus, & nurus socribus
Otium est sentina omnium malorum.
Otium est ingenij rubigo.
Optare vanum est, quod haberi nequit, nocuitq; habitum.
Occasio facit furem.
Omnis res properando parit errorem.
Omne malum nascens facile opprimitur.
Omne superuacuum pleno de pectore manat.
Omnia fert ætas, animum quoq;.
Omnes trahimur amore gloriæ.
Otij belli fructus arrogantia & blasphemia.
Omnes deteriores sumus licentia.
Optimum obsonium labor senectuti.
Omnis mora quantumuis pusilla longissima videtur.
Optimum non nasci.
Opes vt iudex hominis ingenium arguunt.
Officium ne collocaris in inuitum.
Oculi amorem potissimum conciliant.
Occultæ Musices nullus est respectus.
Optimum erit, si quis tempus spectauerit aptum.
Oratio factorum est simulachrum.

Omnes

Omnes infortunati maxime sunt suspitiosi.
Oculi auribus sunt fideliores.
Omnium rerum extremum est mors.
Omnia orta occidunt, & aucta senescunt.
Orandum est, vt sit mens sana in corpore sano.
Opes arte parantur.
Ocium iucundum omnibus.
Offensio aut vitanda, aut mitiganda est.
Optimum quidque rarissimum.
Operibus strenuus sis, non verbis solum.
Omnia sunt secura, præsente fortuna.
Omnibus recte sapientibus adest fortuna.
Oportet id quod adest boni consulere.

P.

PVdor mendico inutilis.
Paupertas læta tuta est.
Paupertas amicis spoliat.
Paupertas excitat artes.
Paupertas sapientiam sortita est.
Pulchra dos est pecunia.
Pecuniæ obediunt omnia.
Præter nummum nil diligitur.
Prope mortem sunt senes.
Patrem sequitur sua proles.
Pauperiem faciunt ædificia & conuiuia.
Paupertas contemptum etiam generosum reddit.
Pauperum mors est sine strepitu.
Pauperum sermones sunt vani.

Pace,

Pace, concordia, ocio, nihil populo gratius.
Patienter ferenda, quæ mutari non possunt.
Paupertas nec illos amicos habet, quos natura coniunxit.
Patrum mores non sunt arguendi, sed ferendi.
Præstantiores sunt senum sententiæ.
Præcocia ingenia cito deficiunt.
Prauum ingenium institutione ad bonam frugem potest demutari.
Pergraue onus est senectus mortalibus.
Pauci in rebus secundis moderati sunt.
Pessimus autor rerum gerendarum ira.
Parua sunt foris arma, nisi est consilium domi.
Post mala prudentior.
Parui ducitur probitas.
Paupertas ingeniosa est.
Patria sua cuiq; iucundissima est.
Plurium malorum causa est lingua.
Plurium calculus vincit.
Post factum plerunq; magis sapimus,
Publica concordia nihil vtilius.
Pecunia impetrat omnia.
Præceps consilium inauspicatum.
Pruriunt cornua arietibus bene pastis.
Patria nihil dulcius.
Præclara rara omnia.
Parum valent egentium sententiæ.
Parsimonia & labore crescunt res.
Prudentis est, multa dissimulare.

Pessimi sunt consultores ira & cupido.
Præstat inuidiosum esse, quàm miserabilem.
Plurima sunt cognoscenda, sed optima retinenda.
Piscator suo malo doctus cauit in posterum.
Præceps ira multorum malorum autor.
Pueri à vitijs arcendi, dum adhuc tenera est ætas.
Pharmaca nascenti sunt adhibenda malo.
Pulchritudo corporis fragile bonum est.
Patere legem quam ipse tuleris.
Protinus apparet, quæ plantæ frugiferæ sint.
Parua scintilla contempta maximum excitauit incendium.
Perpauci sunt, quibus contigit simul felices esse, & sapere.
Præstantissimarum rerum summa raritas est.
Prudentis est, nihil temere agere.
Pares cum paribus facile congregantur.
Proba merx facile emptorem reperit.
Præterita reprehendi sunt, corrigi non possunt.
Plures vincuntur æquabilitate, quàm duritia.
Pauci in rebus secundis moderati sunt.
Plane dies mores probat mortalium.
Peccare denuo haud prudentis est viri.
Post munus ilico consenescit gratia.
Prudentis & consulta sunt prudentia.
Profecto res est sacra consultatio.
Præsens mulier calamitas est vndiq;.
Puella non dotata erit modestior,
Pulchrum est modum cuiusq; scire temporis.
Præstat mori, quàm fœdam vitam viuere.
Pœnas nemo euadet mortalium.

Placidis dictis dolor recte curabitur.
Ponere modum iræ & voluptati, bonum est.
Prolem creasse, amoris arctum est vinculum.
Præstat egere, quàm ex scelere ditescere.
Præstat tacere, quàm loqui indecentia.
Pergratum est honore affici mortalibus.
Periculo alieno ipse euasi cautior.
Præcox ingenium compluribus est odiosum.
Producere in lucem verum dies solet.
Pluris est oculatus testis vnus, quàm auriti decem.
Probus est, quem non pœnitet quàm probus sit.
Pudere neminem oportet, vbi comedendum est.
Plus necat lingua quàm gladius.
Perturbato cordi nihil est incundum.
Pinguis venter non gignit sensum tenuem.
Patriæ fumus igni alieno luculentior.
Patriæ fumus luculẽtior homini videtur, quàm ignis alibi
Plus audet quisq; domi, quàm foris.
Pluribus vnus resistere ac sufficere non potest.
Plerisq; fuit sua taciturnitas commodo.
Permagni refert, quibus cum victites.
Pax hominibus maximum est bonum.
Plus vident oculi, quàm oculus.
Probis ab animis facta promanant proba.
Plus potest & plurium industria.
Præfert quisq; aliquo signo, cuiusmodi sit moribus.
Protinus apparet, quæ plantæ frugiferæ futuræ.
Principium dimidium totius.
Præstat vni malo obnoxium esse, quàm duobus.

Patria est homini, vbicunque feliciter agit.
Placidos ac silentes homines fugito.
Parum fidei miseris est.
Pauper est, non qui parum habet, sed qui plus cupit.
Pecunia nihil non expugnatur.
Perdificile est, bonum esse.
Patiens terit omnia virtus.
Perit omne tempus, quod studijs non impartitur.
Pecuniæ superuacaneæ negotia afferunt.
Præceps ira multorum malorum autor.
Pulchritudo corporis fragile bonum est.
Peruersitas morum omnem fortunam inamœnam facit.
Præterita in curam nostram cadunt.
Pacis nomen dulce.
Parentum iniuriæ ferendæ.
Pax vel iniusta vtilior, quàm iustissimum bellum.
Pecuniam contemnere magni animi est.
Pertinacia elati animi comes.
Pertinacia vel minimis rebus comprehenditur.
Procrastinatio odiosa.
Præcipua eruditio est velle discere.
Portus penuriæ est hominibus ars.
Peruersæ sodalitates malum fructum ferunt.
Pudore amisso omnis virtus ruit.
Præterita compellunt nos futurorum rationem habere.
Pulchrum est, iniurias in gratiam commutare.
Præstat mutare consilium in melius, quàm in male institutis pergere.
Principum fauor necessarius.

Q.

QVa mensura metimini alijs, illa remetietur vobis.
Q ualis vir, talis oratio.
Q ualis princeps, talis populus.
Q uid non capit amor?
Q uisq; suis malis blanditur.
Q uæ nocent, docent.
Q uosdam stulte factorum pertinet.
Q uæ cernuntur certiora sunt, quàm quæ audiuntur.
Q uod quisq; vehementer amat, eius non potest obliuisci.
Q ui amant, semper in eo quod amant habent intentum animum.
Q uod alijs vitio vertas, ipse ne feceris.
Q ui diues est, quasi deus nihil indigere videtur.
Q uidam tenues quemuis ferunt, diuites facti despiciunt vulgares.
Q uicquid rerum vel bonarum vel malarum geritur inter mortales, id pecuniarum gratia fit.
Q uicquid præter spem euenit, id deputato esse in lucro.
Q ui fugitant laborem, optant dies festos.
Q uicunq; recusabit laborem, non feret fructum
Q uid de quoque viro, & cui dicas, sæpe videto.
Q uisq; suo tempore moritur.
Q uæ præclara sunt non contingunt nisi magno negotio.
Q uid tandem non efficiunt manus?
Q ui nimium properat, serius absoluit.
Q ui nescit dissimulare, nescit imperare.
Q uæuis terra patria.

Quod ſatis eſt cui contingit, nihil amplius optet.
Qui alterum incuſat probri, ipſum ſe tueri oportet.
Qui inuident, egent.
Quod palàm vænale eſt, ſi argentum eſt, emas.
Qui è nuce nucleum vult, frangit nucem.
Quid datur à diuis felici optatius hora?
Qui ſe peccare neſcit, corrigi non vult.
Quid turpius arrogante imperitia?
Qui medium curſum tenet, incolumis eſt.
Quid optabilius, quàm ab eo laudari, quem nemo non laudat?
Quæ bona ſunt dona & dato, atque ſuſcipe.
Quàm mox concidit fortuna felicium.
Quàm eſt operis ardui, bene vixiſſe adſuetum malis.
Quàm multa mala hominibus affert otium.
Quàm multorum malorum hominibus cauſa eſt otium.
Quæ minime ſunt pulchra, ea pulchra videntur amanti.
Quot homines, tot ſententiæ.
Quantum habebis tanti eris.
Quod eſt natura inſitum, nullo corriges negotio.
Quiſque aduigilat ad id, quod expetit.
Qui nimium feſtinant, rem edunt imperfectam.
Quod ſemper idē ſtati perpetuiq; habitus parit ſatietatē
Quæ ſunt egregia, bis ac ter recte repeti poſſunt.
Qui in miſeriam deuenerint, fere melioribus & felicioribus inuideant.
Qualis percontatio, talis reſponſio.
Quod difficilius, hoc præclarius.
Qui beneficium collocat in ingratum, perdit operam.

Qui

Qui semel scura, nunquam paterfamilias.
Quicquid natiuum est, id haud facile mutatur.
Qui simul duplex capiat commodum, vtroque frustratur.
Quod fatis decretum est, id nemini licet euitare.
Quod factum est, infectum fieri non potest.
Quod damnaturus sis in alijs, in te ne admiseris.
Qui non est hodie, cras erit vel maximus.
Quæ dolent, ea molestum est contingere.
Qui sese pecuniæ studio addixit, nulli commodus est dum viuit.
Quod in animo sobrij, id est in lingua ebrij.
Quod alibi diminutum, exæquatur alibi.
Quæ supra nos, nihil ad nos.
Quàm bene valere, melius in vita nihil.
Quam quisque nouit artem, in hac se exerceat.
Quicquid iubet amor, non est resistere tutum.
Qui benefacit, non qui regnat, rex est.
Quæ est maxima ægestas? auaritia.
Quæuis vita iucunda, si virtus accesserit.
Qui sibi prodesse nequit, nequicquam sapit.
Quo quisque ingeniosior, hoc docet laboriosius.
Qui de se prædicat arrogantius, malos habet vicinos.
Quod bene dicitur, non nocet bis dicere.
Quamdiu anima est, spes est.
Quid salui est mulieri, amissa pudicitia?
Qui charus vult esse multis, multis inseruiat necesse est.

R.

R*Em peractam stultus intelligit.*

Res ſacra eſt conſultatio.
Rarò ſunt viuaces egregio ingenio præditi.
Rebus maxime proſperis metuenda diuerſa fortuna.
Ratione ſana iram ſubito deuiceris.
Rhamnuſiæ repugnare & deo, graue eſt.
Rerum indigus, habentibus non inuide.
Res non poteſt conſiſtere, cum quæſtum ſuperat ſumptus.
Res in initio puſilla creſcet in maius.
Res facta ardua, tamen aſſidua induſtria peruincatur.
Rarò vlla calamitas ſola venit.
Rerum irrecuperabilium ſumma felicitas eſt obliuio.
Re præterita omnes ſapimus.
Rarò abſq; damno proximorum ædificatur.
Rei non bonæ conſuetudo peſſima eſt.
Res humanæ natura procliues ſunt ad corruptelam.
Reſpublica virum docet.
Rerum humanarum vices triſtiumq; lætorumq; mixturas
Reſecanda eſt iniuria, non retalianda.
Res mala eſt multa concupiſcere.
Ratio degenerat ſine exercitio.
Res nulla conſilio nocentior malo.
Ratione nihil eſt in homine diuinius.
Res verbo interdum deterior fit.
Recta inſtitutio eſt baculus vitæ.
Rarò vlla calamitas ſola.
Rubor eſt virtutis color.
Res dicenda omiſſis conuicijs.
Rex magnus eſt, quiſquis ſe bene rexerit.

S.

SOlatium est in miserijs amicus compatiens.
Semper inops, quicunque cupit.
Senectutis sors est otium & quies.
Secundæ res incautos dementant & perdunt.
Sæpe etiam sub palliolo sordido sapientia.
Sponde, noxa præsto est.
Studia mentem indicant.
Sæpe de leuissimis causis existit ira.
Sapientiæ ætas condimentum est.
Sapientia ætatem gubernat & producit.
Sapiens ipse fingit fortunam sibi.
Sine pennis volare haud facile est.
Supellex mulieris est clarus clamor.
Simul flare, sorbereq́; haud facile factu est.
Sæpe summma ingenia in occulto iacent.
Sibi quisq; pessimus est magister.
Sua cuiq; nimium placent.
Senex viuit mortuus inter viuos.
Si eris discendi cupidus multa disces.
Suum quisq; studium maxime probat.
Sapimus in admonendis cæteris omnes.
Sapientis est, à viro sapiente discere.
Summa cura lingua regi debet.
Scientia homini est certior possessio.
Si ad naturam viues, nunquam eris pauper.
Sors omnia versat.
Stulti sunt, qui corrigi nolunt.

Senesco semper multa addiscens.
Sæpe praua magis quàm bona consilia prospere eueniunt
Superanda omnis fortuna ferendo est.
Soli miseri carent inuidia.
Summa potestas summam requirit integritatem.
Subtile pectus venter obesus non parit.
Si non potes quoduis, id velis quod possis.
Silentium vbiq; tutum est.
Senex homo est molestus cœtui iuuenum.
Senectus est molestum onus mortalibus.
Spe plurima miser solum seruabitur.
Suspitio res vere grauis est mortalibus.
Sermone qualitas viri cognoscitur.
Si langueat mens, is sermone curabitur.
Sapiat minus necesse est omnis ebrius.
Salutis index est morum dexteritas.
Se nosse vbiq; confert & plurimum.
Scientia est veræ virtutis præmium.
Sunt plurimo omnibus honori literæ.
Sapiens in se omnem habet & fert substantiam.
Sapientia non es res vlla dignior.
Sapientum consuetudine & ipse sapies.
Studia vana sunt, ni adsit mens ipsa.
Semper malorum vita consuetudinem.
Silendo multis respondetur aptius.
Sequitur facile tempestatem serenitas.
Sanitate nil est in vita præstantius.
Sapientis est, pati iacturam fortiter.
Secreta animi tu iratus nunquam prodito.

Sunt

Sunt veri amici pauci, mensæ plurimi.
Studio & labore honesta vita prouenit.
Sapientem odi, qui non sibi sapiens est.
Solus sapiens diues est.
Sapienti turpe est dicere, non putaram.
Scientiæ amor nobis innatus.
Senectutis apex autoritas est.
Seruitus omnis misera.
Somnus mortis imago.
Stultia nihil miserius.
Stultorum plena sunt omnia.
Suæ quenque sententiæ pœnitet.
Suam quisque conditionem miserrimam putat.
Suauis est præteritorum malorum memoria.
Suos quisque debet tueri.
Suo quisq; studio maxime ducitur.
Superbi difficile corriguntur.
Si pusillum pusillo frequenter apponas, aceruus oritur.
Sua quemque alit ars.
Suo quisque tempore moritur.
Suus cuique notus est animus.
Sua cuique sponsa videtur pulcherrima.
Si quid boni contigerit, plus incommodi maliq; adest.
Stultum est sollicitudine nihil profutura discruciari.
Semper malis inuisa fuit egregia virtus.
Senes multa experti melius dyudicant.
Senex multa quæ non vult videt.
Senectute ociosa nihil iucundius.
Sitis cupiditatis nonnunquam satiatur.

Sæpe consilio dissimilis est euentus.
Semper discendum quàm diu viuimus.
Sibi vnusquisꝗ pessimus magister est.
Si dixeris quæ vis, quæ non vis audies.
Sæpe mali malefacta viri populus luit omnis.
Suo ipsius laqueo captus est.
Stultus perinde atꝗ luna immutatur.
Sapiens solis exemplo sui semper est similis.
Stulta stulti oratio.
Somnus morti simillimus.
Sapientis proprium est, nihil cuius pœnitere possit, facere
Satius est habere paululum tutò, quàm multum cum periculo.
Sæpe vincas patientia, quæ non viceris impetu.
Sola pecunia possunt expugnari alioquin inuicta.
Spes alunt exules.
Spes seruat afflictos.
Spem pretio emere stultum est.
Sermo opportunus est optimus.
Sermo character animi est.
Satius est ab amico corrigi, quàm ab inimico blandiri.
Sibi quisꝗ placet. *Suum cuiꝗ pulchrum.*
Suus rex reginæ placet.
Suus cuiꝗ vxori maritus.
Suus cuiꝗ crepitus bene olet.
Stultum est in alterū dicere, quod in te possit retorqueri.
Suus cuiꝗ mos est.
Satietas ferocitatem parit.
Sera in fundo parsimonia.

Sero medicina paratur.
Satius est initijs mederi, quàm fini.
Solitariæ manus inualida pugna est.
Sine conuictore amico insuauis vita est.
Stillicidium perpetuum saxum excauat.
Sæpe etiam holitor valde opportuna locutus.
Sublata lucerna nihil interest inter mulieres.
Silentij tutum præmium.
Silendo nemo peccat, loquendo persæpe.
Sumuntur à controuersantibus mores.
Si iuxta laudum habites, subclaudicare disces.
Summum ius summa malitia est.
Satius est cessare, quàm nihil agere.
Spernimus in commune omnes præsentia.
Se vitij damnat vitium qui laudibus effert.
Semper feriæ inertibus.
Sapientis haud est bis in eodem labier.
Stupidi est hominis, in malum gustatum iterum incidere.
Semper expetenda fortuna, & omnis tentanda occasio.
Sine Cerere & Baccho friget Venus.
Stultitia est venatum ducere inuitos canes.
Suæ quenque sortis pœnitet, aliena miratur.
Sine vt eo pacto tecum agatur, quo cum alijs egeris.
Sapientiæ reconditæ, & thesauri absconditi nulla est vtilitas.
Sine ope diuina nihil valemus.
Suauissima hæc est vita, si sapias nihil.
Singulæ virtutes magno sudore parandæ.
Semper similem ducit deus ad similem.

Sequit

Sequitur ver hyemem.
Stultus stulta loquitur.
Sunt pauci, quibus iisdem & virtus suppetit & res.
Sapiens sua bona secum fert.
Sapiens opes secum habet suas.
Semper enitendum ad optima, quanquam sunt ardua & difficilia.
Scire uti paupertate, maxima felicitas.
Sæpenumero pessima pro optimis amplectantur.
Sanitate nihil est in vita melius.
Sanitas & mens duo sunt vitæ bona.
Sine vitiis nemo nascitur.
Sapiens semper sui similis est.
Sæpe nocuit differre paratis.
Seruire multis, fortis est miserrimæ.
Semper metuit nimium præsaga mali mens.
Sermo medetur tristitiæ.
Senes facile ieiunium tolerant.
Sapientia nimia non est sapientia.
Sub cuius potestate sumus, eorum est ferendum imperium
Satius est tacere, quàm tacenda proloqui.
Silentio nihil est vtilius.
Sapere & dicere volunt coniungi.
Sera nimis est post belli cladem deliberatio.
Summi viri negligunt minutula quæpiam.
Sæpe consilio dissimilis est euentus.
Spes hominem ne in morte quidem relinquit.
Spectandus semper est finis, & rei exitus.
Satius est recurrere, quàm currere male.

Stultum

Stultum est dicere, non putaram.
Sacra quædam res est consilium.
Sola mors fatetur, quantula sint hominum corpuscula.

T.

Tristitia & feneritas in omni re absit.
Tempus nullum est infructuose transeundum.
Tempus breue est.
Talia dicentur tibi, qualia dixeris ipse.
Tum iudicant homines, vbi iam pœnitet.
Tempori seruiendum est viro sapienti.
Talis hominibus est oratio, qualis vita.
Turpe lucrum adducit infortunium.
Tempus vitiat omnia. *Tempore fiunt omnia.*
Tempus ad lucem ducit veritatem.
Tempus omnia reuelat.
Temporis, fuga fluuio comparatur.
Tempus omnia secum trahit.
Tollit animos opulentia.
Tanti quisque habetur, quantum habet.
Tanti quisque fit, quantum possidet.
Tolleranda fata numinum.
Tu recte viuis, si curas esse quod audis.
Talis quisque sit, qualis haberi velit.
Tempus dolorem lenit.
Tuapte supellectile te metito.
Temulentus dormiens non est excitandus.
Turpissima est iactura quæ per negligentiam fit.
Taciturnitas amicitias complures dissoluit.

Tenue est robur humanum.
Tarditas in rebus gerendis odiosa.
Temeritas à magnitudine animi aliena.
Tempus minuit dolorem.
Te laudibus nolim studeas extollere.
Tuo malo à nullo sumatur alio.
Tempus feret de vita olim iudicium.
Tristitia vitæ cognata est mortalium.
Temerat malignus rhetor leges optimas.
Tolerasse strenue quæ accidunt, viri est.
Tenuiter bene viuere melius est, quàm splendide male.
Talis quisq; fit cum qualibus agit familiaritatem.
Talis quisq; euadit, qualibus cum conuersatur.

V.

VNde habeas quærit nemo, sed oportet habere.
Verecundia bonum in adolescente signum.
Verecundia malis conatibus obstat.
Venter imperiosa corporis pars.
Vinum immodicum malorum causa.
Vxori non temere credendum.
Vtcunq; res sit, ita animum habet sapiens,
Vi regi imperia non possunt.
Violentia odium parit, odium dissensiones.
Vis consilij expers.
Vis sine consilio nihil prodest.
Vestitus mediocritas optima.
Vbi quisq; thesaurum habet, ibi habet & cor.
Vita nobis est incerta.

Vt tua fuerit oratio, ita tibi respondebitur.
Vnusquisque est faber suæ fortunæ.
Vinum est mors memoriæ.
Vinum est terræ sanguis.
Vinum est incentiuum lubidinis.
Vinum impellit senem etiam nolentem ad saltandum.
Vino vendibili suspensa hedera nihil opus.
Vini potus disertos facit, & ingenium excitat.
Vinum & mulieres sapientem dementant.
Vinum caret clauo.
Voluntas & labor procreant artes.
Varium & mutabile semper fœmina.
Vxor quæ pudicitiam amisit, omnia simul perdidit.
Virtutis laus in actione consistit.
Vxoris vitium aut tollendum est, aut ferendum.
Vxorum vitia post nuptias discimus.
Viri candida cute non sunt multum strenui.
Voluptates dum blandiuntur necant.
Voluptas impedit consilium, & lumen animi extinguit.
Voluptate homines capiuntur, vt hamo pisces.
Ventre pleno melior consultatio.
Venter auribus caret.
Venter non habet aures.
Vetus amor nullum nouit habere modum.
Vulgus amicitias vtilitate probat.
Vnicum confugium in ægestate est ars.
Verum loqui qui iuris est sui, potest.
Virtus viris dat arma multo maiora.
Virtus est penitus sola ipsa modestia.

Vitam

Vitam vocabis quæ parta est vita optima.
Victu indigens non recte vita dicitur.
Vacuam malis, vitam inuenire non licet.
Vires labant ætate, cunctaq; occidunt.
Vir vnus haud videt omnia.
Venerans parentes felicem te credito.
Viuax eris senes parentes confouens.
Videre non licet fidem in mulieribus.
Vxor ferat communem opem quam feliges.
Venena gestat aspidis mala fœmina.
Vana gloria nil puto ærumnosius.
Vnam esse cladem communem puta omnium.
Vir optimus vere nunquam est ignobilis.
Vitam cupis, ne morte digna gesseris.
Victum para vndecunq;, at non ex crimine.
Vrgentur ad pœnas scelerati numine.
Verbis inediam repellere haud potes.
Vulgo sua ratio ipsa est doctrinæ loco.
Viri improbi haud emolliuntur viscera.
Viri optimi improbis habentur pessimi.
Vanæ linguæ aduenit damnum & calamitas.
Vicissitudo ingens rerum est mortalium.
Varia admodum fortuna, eademq; instabilis est.
Vitæ bona sunt, valere & mente & corpore.
Virorum amici sunt procul infelicium.
Vnicuiq; dedit vitium natura creato.
Vbi intenderis, ingenium valet.
Vix feliciter cedit, ad quod quis reluctante ingenio protruditur.

Vnusquisq;

Vnusquisque sibiipsi blanditur.
Vni si qua placet culta puella sat est.
Veritas sæpe laborat, nunquam opprimitur.
Vbi quis dolet, ibidem & manum habet.
Vicinitas & prosperitas inuidiæ sunt parentes.
Viuere si recte nescis, decede peritis.
Vinum calcar præbet ingenio.
Vt quisque firme rem suam accurat, sic ei procedit.
Viden' ægestas quid negotij dat homini?
Vera virtus non eget alienis præconijs.
Velle suum cuique est, nec voto viuitur vno.
Vir vnus nihil insigne præsliterit.
Victa assiduitate fiunt quælibet negotia.
Vsque adeò nihil improbius muliereq; peius.
Viuere nostrum, est militare.
Vita hominis militia est super terram.
Vsu vitę multaq; rerum experientia paratur prudentia.
Vt cuique homini res parata est, firmi amici sunt.
Vbi non est pudor, ibi regnat impudentia.
Vbi non est fides, iustitia locum non habet.
Verecundia inutilis viro egenti.
Vbi timor, ibi & pudor.
Vita humana similis est alearum ludo.
Vita hominum perinde est quasi cum ludas tesseris.
Vita mortalium breuis.
Vt sementem feceris, ita & metes.
Vocatus, non Vocatus Deus aderit.
Vtere illorum opera, qui ex animo faciunt.
Vbi amici, ibi opes.

Viri

Viri infortunati procul amici.
Vicinus inuidet vicino.
Vnũquemq; decet eã artẽ exercere, quã antea doctus sit.
Vnus vir, nullus vir.
Vt quisque est, ita loquitur.
Vnus dies non sat est ad parandã virtutẽ aut eruditionẽ.
Vna hirundo non facit ver.
Veritatis simplex oratio.
Virum improbum vel mus mordeat.
Vera ornamenta matronarum pudicitia, non vestes.
Voluptatibus interdum animi, ægritudines leuantur.
Vtendum est diuitijs, non abutendum
Vita iuuenilis imbuenda bonis literis, & cãdidis moribus.
Vita nostra similis est bullæ in aqua.
Vtendum est ætate, cito pede labitur ætas.
Virtuti nulla possessio maior.
Virtus omnibus rebus anteit profecto.
Vincit malos pertinax bonitas.
Virtutis via ardua & fragosa.
Virtute nihil est formosius, nihil pulchrius.
Via vitiorum lata est, & decliuis.
Vini hilaritas minuit senectutis molestiam.
Voluntas est necessitati accommodanda.
Vicissitudo beneficiorum in amicitia necessaria.
Viuimus in otio & tranquillitate, dum res sunt secundæ.
Variæ sunt rerum vices.
Voluptates commendat rarior vsus.
Vltor scelerum Deus.

FINIS.

